DE MEDIA ET NOVA COMOEDIA QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS FRAENKEL

BEROLINENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXII.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt
F. Leo et P. Wendland.

Examen rigorosum habitum est die XVII. mens. Iulii anni MCMXII.

FRIDERICO LEO

ΑΠΑΡΧΑΙ.

Media comoedia fere tota periit; cognoscendi quamvis cupidi nihil captamus nisi σκιᾶς ὄναρ[1]), vivum corpus nunquam tenebimus, nisi forte Terram matrem aliquando miserebit curiositatis nostrae. Sed si ipsam intueri non licet, tamen, cum et veteris et novae comoediae satis magna copia exstet, interdum efficere possumus, quem locum media comoedia in eius artis historia teneat, quae fabularum partes a vetustioribus poetis receptae ab Antiphane Alexide reliquis omissae, quae minutae, quae auctae, quae tum primum inventae sint, idque haud raro fragmentis servatis comprobare contingit. Sic itineris, quo comica ars progressa est, etiam per illorum temporum spatia, unde nullae fabulae supersunt, si non singulos gradus, at certe regionem cernimus. Quod ut fieri possit, necesse est singula comoediae elementa seorsim tractemus eaque, quantum facultas fert, ab Aristophane ad Apollodorum Demophilumque persequamur. Huius quaestionum generis praeclara quaedam exempla exstant[2]). Multo maior pars adhuc neglecta iacet. Nobis vero pro viribus nostris de parva quadam fabularum particula, de nuntiorum scilicet comicorum narrationibus, pauca disserere propositum est.

---

1) „Für unsere Kenntnis ist die mittlere Komödie ein unfaßbarer Schemen“ v. Wilamowitz, Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. 1899, 514[4].

2) W. Franz, De comoediae Atticae prologis. Straßburg 1891; Leo, Pl. F. cap. IV, Der Monolog im Drama (Abhandl. Gött. Ges. N. F. Bd. X, 5).

Nuntii narrationem fabulae inserere quasi ipsa dramaticae artis natura poetam docet, nam ubicumque aut totum fabulae argumentum solitis fabularum finibus amplius est aut partes eius ad rerum conexum necessariae haud idoneae sunt, quae in scaena agantur, poetae id refugium datum est, ut, quae agi nolit, narrari iubeat. Quod refugium semper omnibus omnium temporum scaenicis poetis patebat. Non est igitur, quod credamus comoediae Atticae poetas nisi alio duce aditum ad id invenire non potuisse, atque hanc quidem rem exemplis affirmare supersedemus. Ut tamen melius cognoscamus, qualis sit comicorum ars ubi nuntios non proprio socco sed tragoedorum cothurnis ingredi faciunt, iuvat in animum revocare narrationem vere comicam atque eam omnium quas quidem tenemus longe lepidissimam; allantopolae dico de victoria in senatu parta relationem (equit. 624 sqq.)[1]: Agoracritum hoc loco nuntii vice fungi chorus ipse dicit (614):

ἄγγειλον ἡμῖν πῶς τὸ πρᾶγμ' ἠγωνίσω.

Haec scaena (seu adventum nuntii respicis seu ipsam narrationem seu chori canticum)[2]) ab omni tragoediae imitatione libera est. Deest longius diverbium, quod tragicorum nuntiorum narrationem antecedere scimus. Allantopola a choro interrogatus respondet se vicisse; sequitur canticum, deinde ipsa narratio. In hac narratione orationes directae quae insunt cave ne tragoediae imitationi tribuas. Nam ut orationes expressis verbis reddantur, ipsa res flagitat, cum de senatus consessu narretur. Miretur quispiam orationem perlongam nullo

---

1) De nuntiis Aristophaneis agit etiam Beyerus sodalis meus, cuius dissertatio his ipsis diebus sub prelo est. Utrique nostrum de eadem re disputandum erat, sed diversa ratione, cum ille veterem comoediam, ego mediam potius et novam curarem.

2) Cretici sunt (paeones), in Pluto vero postquam nuntius bonum rei eventum proclamavit, chorus in dochmios erumpit (637, 639 sq.).

verbo interrumpi, id quod contra comoediae morem fieri videbimus; ac sane non fieret, si adesset in scaena aliquis, qui narrantem interrumpere posset; nunc vero allantopola solus cum choro loquitur. Proprium est huius scaenae, quod neque bipartita est narratio ita, ut primum sollicito diverbio summa rei deinde continua oratione singulorum factorum series secundum temporis ordinem narretur, neque sermo tragicis ampullis exornatur. Apparet igitur nuntii partes a poeta ita induci potuisse, ut comicae artis simplicem elegantiam nullo modo desereret. Attamen in nuntiorum narrationibus comici sollemniores tragoediae formas nequaquam repudiaverunt. In omni huius generis imitatione [1]) — sane valde diversa a singulorum versuum verborumque parodia — comici poetae non irrisionis tantum causa tragicos sequuntur, sed quia in tragicarum scaenarum artificiosa compositione quasi firmum fundamentum ipsorum inventioni datum esse laeti videbant. Genuina comoediae vis — ut decet hilarem ludum ebriae diei festi voluptati sacratum — magis posita erat in facie aedificii festive ac varie exornanda quam in tignis interiorum partium solide compingendis. Haec autem erat tragoediae virtus diuturnis studiis parta. Qua re fit, ut comoediae historia inde ab antiquissimis temporibus non parva ex parte historia sit dramaticae artis a tragoedia inventae atque excultae, a comoedia receptae atque in proprium usum conversae. Atque comici poetae eo libentius tragicorum vestigia premebant, quod propter ea ipsa artificia, quae ab iis discebant, docentes irridere semper iis licebat. De hac re in ipso disputationis principio generaliter mihi dicendum esse censui, ut statim

1) Velut, ut paucis exemplis allatis rem adumbrem magis quam explanem, in iis Acharnensium scaenis, ubi poeta Telephum imitatur, in exitu eiusdem fabulae inde a vs. 1174, in Pace inde a vs. 82, in compluribus Thesmophoriazusarum episodiis. Talis est etiam ea Pluti scaena, de qua infra agemus.

intellegeretur, qua vi in tota hac re imitationis nomen usurpemus.

Sed redeundum est ad nuntios Aristophaneos. In Acharnensibus ab imperatoribus nuntius ad Lamachum mittitur. Audi modo, quibus verbis chorus eius adventum adnuntiet:

1069 καὶ μὴν ὁδί τις τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακὼς
ὥσπερ τι δεινὸν ἀ γ γ ε λ ῶ ν ἐπείγεται.

Iam hoc plane tragicum. Neque aliter poeta sequentes versus tractavit. Sollemnis est exclamatio nuntii ἰὼ πόνοι etc., sollemnis interrogatio Lamachi 1072: τίς ἀμφὶ χαλκοφάλαρα δώματα κτυπεῖ; (ubi recte scholiasta: τραγικώτερον λέγει). Oratio ipsa brevis est; non factum narrat, sed ducum nomine faciendum imperat nuntius, velut e. g. in Troadibus Talthybius (709 sqq.), qui nuntius a choro plane eodem modo vocatur atque hic Aristophaneus. A lugubri pompa huius nuntii longe distat simplex oratio eius, qui Dicaeopolin ad cenam invitat, (1085 sqq.), ut omnino ex diversitate, quae est inter Lamachi et Dicaeopolis sortes, inventio huius scaenae nata est.

Oratio servi qui paullo post de tristi Lamachi fato familiam eri certiorem facit, tota tragoediam spirat (cf. e. g. vs. 1183 sqq.). Atque omnino inde a vs. 1174 usque ad finem fabulae lepidus poeta paene tragoediae finem exhibere videtur „atque Dicaeopolis victor similis est Xerxis, quatenus κῶμος et κομμός congruere possunt“ [1]). Sed in nuntii sermone quidem, non tamen in introductione eius neque in totius scaenae structura poeta tragoediam sequitur. Deest adnuntiatio, deest diverbium, in medias res rapimur. Scilicet in ultima fabulae parte versamur, res sibi finem flagitat, quare poetae minime interest largo tragoediae apparatu adhibito actionem paene iam actam

1) v. Wilamowitz, comm. metr. II, 32.

etiam retardare. Satis igitur habet sermone in tragicum modum commutato illos notissimos ἐξαγγέλους in spectatorum animos revocare.

Eodem modo atque in Acharnensibus etiam in Vespis servus, qui nuntii officio fungitur, non sine magnifica exclamatione in scaenam incedit[1] (1292 ἰὼ χελῶναι κτλ.). Chorus interrogat:

τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ: παῖδα γάρ, κἂν ᾖ γέρων,
καλεῖν δίκαιον ὅστις ἂν πληγὰς λάβῃ.

Hisce verbis versus quosdam tragicos spectatoribus notissimos illudi, quibus similem in modum chorus nuntium salutaverit, et per se perspicuum est et comprobatur Thesmophoriazusarum loco, ubi chorus ex nuntio quaerit (582):

τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ; παῖδα γάρ σ' εἰκὸς καλεῖν,
ἕως ἂν οὕτως τὰς γνάθους ψιλὰς ἔχῃς.

Respondet Xanthias ipsa narratione. Sed priusquam res eo ordine, quo sunt factae, enarrat, summam rei complectitur quinque versibus, id quod in tragoediis non in ipsa narratione, sed in diverbio praemisso fieri solet. Deinde incipit:

εὐθὺς γὰρ ὡς ἐνέπλητο πολλῶν κἀγαθῶν κτλ.

ac vivis coloribus, orationibus directis aptissime insertis potitantis senis habitum ac facinora depingit. Etiam hic nuntius, id quod iam in Equitibus factum vidimus, statim post parabasin in scaenam ingreditur, ita ut ibi praeter eum et chorum nulla persona adsit. Quo fit, ut oratio eius non interrumpatur.

---

1) Cf. Pseudoli illud „io, io te te turanne" (702); etiam hic quasi nuntius advenit, verum poeta solum praeludium narrationis exhibet, diverbium dico, quo summa rei brevibus verbis adumbratur (vs. 716), largiorem vero narrationem, qua modus facti explicari possit (720) resecuit,

horum causa haec agitur spectatorum fabula:
hi sciunt, qui hic adfuerunt.

Avium nuntius prior (1121 sqq.) ita narrat, ut in totius scaenae dispositione tragoediae exemplar recognosci queat. Adlocutio quidem eius

(1122: ποῦ ποῦ 'στι ποῦ; κτλ.)

singularis est, qualis avem decet, cf. 310, 319. Sed animadvertendum est primum narrari urbem aedificatam esse, deinde longiore oratione (inde a vs. 1133), quomodo aedificata sit. Admirabili poetae arte inde ab initio omnia severo ordine narrantur, ita ut in aedificio construendo unum alterum sequi solet. Oratio saepius interrumpitur Pithetaeri interrogationibus, quae tamen ita comparatae sunt, ut narrationem nusquam retineant, semper ad sequentes res provehant.

Secundi nuntii scaena (1168 sqq.) tragicis luminibus decenter exornata est (cf. 1168—1171). Schema illud, quo tragici nuntii in scaenam induci solent, Aristophanes etiam in Thesmophoriazusis imitatus est (574 sqq.), ubi Clisthenes mulieres de Euripidis consiliis breviter certiores facit, nihil tamen habet quod narret. Ille nuntii loco se venire ipse dicit:

573 ἥκω φράσων τοῦτ' ἀγγελῶν θ' ὑμῖν.

Quam tragice sonet tota haec scaena, vix est quod moneam, cum aures statim id nos doceant. De vsbb. 582 sq. iam prius dixi, versus 586 in quavis tragoedia locum habere possit.

Iam accedimus ad scaenam inter omnes huius generis et amplissimam et maxime ridiculam, illam dico, in qua Pluti fabulae καταστροφή versatur (inde a vs. 627). Carionis adventum, salutationem, narrationem modo audientibus tria nobis verba sufficiunt, ut omnem eius morem habitumque accurate significemus: ut paratragoedat carnufex.

Hoc tam clare apparet, ut omnia deinceps cum tragicis exemplis comparare supersedeamus. Hic quoque

primum (633 sqq.) summa rei narratur, deinde larga oratione ex temporis ordine omnia explicantur. Etiam huius initii formula e tragoedia sumpta est:

653 ὡς γὰρ τάχιστ' ἀφικόμεθα πρὸς τὸν θεόν [1]).

Atque in omni narratione nihil deest ex illorum nuntiorum apparatu. Una tamen re totius scaenae dispositio a tragoedia multum distat: orator saepe interrumpitur. Nam domina, chori clamore allecta, servo impatienter interrogationes obicit. Id ipsum in Avibus animadvertimus. Qua in re cum comoedia a tragicae artis legibus recedat, quam maxime propriae naturae morem gerit. Nam perpetuam unius orationis continuationem ut nimis severam comoedia aegre tolerat. Amat contra interruptiones scurrilem in modum factas, quibus omne dictum paullo deflectitur vel in risum convertitur. Hoc cadit etiam in magnas istas disputationes, Atheniensibus spectatoribus pergratas. In tragoediis ἀγῶνες λόγων eum in modum decurrunt, ut primum unus, deinde alter certantium ampliore oratione sententiam dicat, quae orationes tantum paucis chori versibus inter se segregantur. Comoediae vero agonibus fere semper adest tertius quidam, qui argutiis facetiisque iniectis loquentes vexat, spectatores delectat. Carionis haud dissimiliter etiam in Antiphanis Metragyrta nuntius de mirabili quadam sanatione per Cybelen facta narravisse videtur, cuius magnae orationis frustulum tenemus (Athen. XII 553^c = II 74 Kock):

τήν τε παῖδ' ἀλείμματα
παρὰ τῆς θεοῦ λαβοῦσαν εἶτα τοὺς πόδας
ἐκέλευ' ἀλείφειν πρῶτον, εἶτα τὰ γόνατα.
ὡς θᾶττον ἡ παῖς δ' ἥψατ' αὐτοῦ τῶν ποδῶν
ἔτριψέ τ' ἀνεπήδησεν.

cum ultimis verbis comparandi sunt Pluti vss. 737 sq.

---

1) Cf. Pherecratis Γρᾶες frg. 36 K.

Ex paucis tamen quae nobis supersunt exemplis satis aperte intellegimus etiam mediam quam dicunt comoediam in nuntiorum narrationibus fingendis saepissime ad commodum tragoediae exemplum se applicuisse. Nam quod Eubulum (II 214 K.) ex aliqua Chaeremonis narratione hos versus

ἐπεὶ δὲ σηκῶν περιβολὰς ἠμείψαμεν
ὕδωρ τε ποταμοῦ σῶμα διεπεράσαμεν

laudavisse in Athenaeo (II 43 c) legimus, quid hoc sibi vult nisi comicum poetam tragici verba nominato poeta proprium in usum vocavisse, i. e. in suam narrationem immiscuisse haud sine cavillatione nimis tumidae orationis. Similem parodiam tragicae narrationis invenimus in Alcaei Κωμωιδοτραγωιδία, cuius parodiae exemplar felici casu comparare etiam nobis licet, nam cum in illa comoedia nuntius orationem suam his verbis incipit:

ἐτύγχανον μὲν ἀγρόθεν πλείστους φέρων
εἰς τὴν ἑορτὴν ὅσον + οἶον εἴκοσι,
ὁρῶ δ' ἄνωθεν γάργαρ' ἀνθρώπων κύκλῳ

quis non videt irrideri Orestem Euripideam, ubi magnae nuntii narrationis initium hoc est (866):

ἐτύγχανον μὲν ἀγρόθεν πυλῶν ἔσω βαίνων κτλ.

deinde 871:

ὁρῶ δ' ὄχλον στείχοντα καὶ θάσσοντ' ἄκραν κτλ.[1]).

Talis parodia, qua non omnino stilus tragicus, sed certi unius tragoediae versus irridentur, acumen suum non habet, nisi exempli locus celeberrimus est. Hoc igitur de magna Orestis narratione ex comici ludificatione discimus atque huius rei memores erimus, si de eadem oratione denuo agendum erit. Aliud longioris narrationis fragmentum ex Timoclis Λήθη nobis servatum est (Ath. IX 407 d = II 461 K). Inest oratio directa; a

1) Recte hoc Kockius adnotavit (I 760).

tragoediae imitatione hi quidem versus liberi sunt. Sed parum refert diversas diversarum orationum panniculas nulla aut formae aut argumenti unitate inter se coniunctas undique congerere; incolumis vero scaena, unde discamus, qua arte mediae comoediae poetae in his fabularum partibus usi sint, nulla nobis relicta est. Sed hac quidem in re emolumento nobis est quam tam saepe detestamur Dipnosophistarum stolida diligentia ventris tantum rebus dedita; nam isti docti helluones magnam nobis fragmentorum seriem servaverunt, unde unam quidem speciem narrationum, earum scilicet, quae de cenis vel de conviviis sunt, paullo accuratius cognoscere earumque partes discernere possumus. Sed priusquam ad eas accedamus, e re erit, tragicas quasdam narrationes denuo inspicere.

Praeclara convivii Attici descriptio inerat in Sophoclis Achivorum Convivio. Quam non satyricam fabulam[1]) esse (id quod existimaverunt viri docti) sed hilarem tragoediam quarto loco actam velut Euripidis Alcestim Wilamowitzius demonstravit, chorumque (σύνδειπνοι) ex ipsis Argivis Troiam obsidentibus formatum esse contendit. Licet miremur, concedendum tamen est, Sophoclem convivii, quale et ipse et spectatores cottidie ante oculos habebant, accuratam ridiculamque descriptionem, ne vilissimis quidem rebus silentio praeteritis, in tragica

1) Illud narrationum convivalium genus, de quo imprimis in hac disputationis parte nobis agendum erit, Bacchi ebrios comites quam maxime decere neque defuisse in tragicorum satyris vix dicere opus est. Unum saltem exemplum, licet recentioris aetatis sit, tamen laudemus, cum ex eius narrationis fragmentis totius orationis dispositio facile cognosci queat; cenae descriptionem dico, quae erat in Lycophronis Menedemo (Ath. X 420 b—c = p. 636 N). Primis verbis, quibus Silenus satyros alloquitur, summam rei exprimit, effectum, ut ita dicam, cenae describit, delicias modo gustatas quasi ruminat. Tum ad ipsam narrationem se convertit atque recto ordine de singulis convivii officiis refert.

scaena protulisse [1]). Et quam larga fuisse debet narratio, si quidem unum factum tot verbis narratur: (Ath. I 17d = fr. 141 N).

ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ τὴν κάκοσμον οὐράνην
ἔρριψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον.
ἐδειματούμην δ' οὐ φίλης ὀσμῆς ὕπο.

In Euripidis Alcestide servus soliloquio narrat, quomodo Hercules in potando se gesserit. Cuius narrationis et dictio et argumentum — ut multa in hac fabula — non nimis abest a comoediae more. Sed multo maiorem mirationem movere debet — modo recte perspiciamus quantum differat a genuina tragoediae ratione — convivii descriptio fabulae quamvis seriae ac sublimi inserta, Ionis dico narrationem (1122 sqq.). De qua certe non aliter iudicandum esse puto quam de famosa illa chori parodo [2]). Euripidi enim di animum dederant porro por-

1) „Dies Gastmahl hat Sophokles gewagt als ein recht ausgelassenes seiner Zeit zu schildern. Nicht nur daß in einer Botenrede ein Sklave berichtet, wie ihm ein erzürnter Zecher den Nachttopf an den Kopf geworfen hat (frg. 141 = Ath. I 17 d); es wird auch gesagt ‚tragt auf u. s. w.‘ (frg. 138 = Ath. XV 686 a) oder ein eleganter Junker wird koramiert.“ v. Wilamowitz, Berl. Class. T. V, 2 p. 71 sq.) cf. eundem G. g. A. 1897, 512.

2) Nihil mihi quidem probavit G. Karo eorum, quae de hoc cantico disputavit (B. C. H. XXXIII, 1909 p. 212 sqq.). Parum verisimile est ea quae chorus describit monumenta in alio quam in magno Apollinis templo fuisse. Falsa est interpretatio verborum ἀγυιάτιδες θεραπεῖαι. Multo rectius, licet de singulis dubitare possis, iudicasse videtur Homolle (ibid. XXVI, 1902 p. 588 sqq.). Sed utut res se habet, id certe contra Karonis sententiam contendo eorum quae Euripides describit monumentorum imagines nullas in scaena fuisse. Nihil vident spectatores quam simplicem ac vacuam aedis faciem; poeta artis opera eos contemplari iubet, sed non oculis, sed animo et recordatione. — Haec scripseram totiusque opusculi finem feceram, cum Paulum Friedlaender, qui in egregria disputatione (Johannes von Gaza und Paulus Silentiarius, 1912 p. 23 sqq.) de hac quoque re egit, plane idem de parodi

roque semper properantem, insatiatum, nunquam ea quam possidet arte contentum. Non satis habet deorum hominumque animos ac sortes finxisse novaque semper vita antiquos mythos implevisse; ardet desiderio universam divitis mundi copiam in fabularum artum circulum includendi; quidquid pulchri, quidquid mirabile aut ipse vidit aut ab aliis comperit, id ex suis carminibus tamquam e speculo renidere vult. Ac perspexit divinus vir in tanta rerum copia nihil esse vile, nihil humile, nihil impurum, dummodo id poetae oculus recte contempletur, poetae manus in artis regiones elevet. Atque ut aures eius carminum modos undique recipiebant, ex infimis, ex reconditissimis, ex tristissimis latebris (Ar. ran. 1301 sqq.), ita oculi quoque undique rerum imagines secum portabant, quas ornamentorum loco fabulis intexeret. Vidit in itinere quodam Delphici Apollinis fanum Alcmeonidarum quondam sumptibus exstructum, admiratus est magnorum artificum sculpturas; nunc, cum fabulae argumentum animum Delphorum commonefacit, praedicat populo suo ea opera, quae, ut ipsi olim deliciis fuerunt, fere omnibus Graecis nota atque dilecta sunt. Neque aliter, cum convivia patrum more celebrata popularibus suis gaudio, saepe etiam in tanta temporum duritia consolationi esse cottidie comperiat, fabulae suae Attici convivii descriptionem inserit, licet cum dramatis argumento non arte cohaereat.

Athenis conviviorum ordo firmis regulis constitutus erat variaque officia edendi, libandi, bibendi, cantandi, colloquendi

---

argumento iudicare vidi (p. 28,[2]). Neque minus assentior iis, quae de nuntii narratione exponit (p. 24 sq). Nimis acriter autem distinxisse mihi videtur inter illius narrationis atque parodi rationem. Neque in nuntii narratione Homeri poeta premit vestigia (licet hic illic, ut solet in narrationibus, formulis epicis utatur) neque in cantico Epicharmi. Utrumque quam maxime est βιωτικόν. Hic aedis Apollinis frons, illic magnifica quaedam σκηνὴ θεωρικὴ describitur. Euripides de Delphis fabulatur ut Aeschylus post iter Siculum de Aetna monte.

horumque singulae partes eadem usque serie sese excipiebant. Omnes Euripidis Aristophanisque fabularum spectatores inde a pueris accurate sciebant, quid faciendum esset, priusquam mensae, de quibus ederant, ecferrentur, quo convivii tempore minora pocula cum amplioribus commutarentur et quae eius generis sunt. His igitur rebus poetae diligenter operam dant. Si in divite quadam domo cena fit, mos fert, ut convivae primum hospitis vasa aureumque lacunar et quae praeterea triclinium decorant, contemplentur ac laudent [1]. Etiam Euripides spectatores, cum eorum animos ad opulentam cenam invitat, primum sensim pedetemptimque parietum ornamenta admirari iubet. Ac ne in hac quidem re ars vitae veritatem deserit. Nam in insignibus illis sacris, ad quarum magnas penteteridas frequentissimus omnium Graecorum concursus erat, sane nullae solidae aedes suppetebant, quae tantam hominum multitudinem vel partem eius recipere possent [2]. Magna igitur tentoria exstruebantur ibique convivis cena apponebatur [3]. Haec consuetudo fortasse iam vetustior erat. Is vero modus exornandi ista tentoria, quem Euripides praeclare describit, ipsis demum poetae temporibus ex Asia in Graeciam traduci coeptus est. Ac tantum abest, ut iam vol-

1) ἔπειτ' ἐπαίνεσόν τι τῶν χαλκωμάτων, ὀροφὴν θέασαι. Ar. Vesp. 1214.

2) Etiam singuli θεωροί ibi in tentoriis habitabant (Ar. Pax 880 cum schol.). — Dionysius tyrannus Olympiam ἀπέστειλεν . . . σκηνὰς εἰς τὴν πανήγυριν διαχρύσους καὶ πολυτελέσι ποικίλοις ἱματίοις κεκοσμημένας. (Diodor. XIV 109); simili igitur modo haec exornata erant atque Ionis tentorium.

3) Alcibiadi Olympionicae ἀφειδῶς ἑστιῶντι πολλοὺς (Plut. Alcib. 12). Asiae urbes omnes cenae apparatus suppeditant, etiam tentorium, in quo cena habeatur, τούτῳ σκηνὴν μὲν Περσικὴν 'Εφέσιοι διπλασίαν τῆς δημοσίας ἔπηξαν [Andocid.] IV, 30. Cf. Plutarch. Alcib. 12. Erat igitur Olympiae δημοσία σκηνή peregrinorum receptioni destinata.

garis factus sit textorum tapetium usus, ut Asiae reges vel urbes talibus Persicis tentoriis tamquam pretiosissimis donis Graecos homines honoraverint[1]. Certo inter pulcherrimas Orientis gazas etiam multa atque pretiosa tapetia olim inerant in iis Delphorum thesauris, quorum ruinas nunc Francogalli denuo erexerunt. Neque nefas erat dei filium patris supellectilem festo die e sacellis promere. Sed hoc tentorium Euripides — is quoque doctus Homeri discipulus — non iam perfectum describit, immo ante animi nostri oculos exoriri vult, ut omnes crescentis aedificii partes accurate distinguamus. Primum nuntius dicit, ad quam caeli partem tentorium vergat[2], deinde quibus modis inclusum, tum qua materia constructum sit. In singulis rebus nihil est quod non vitae veritatem spiret. Ea tapetia quae totum tentorium insuper tegunt (1143—58), ornamenta habent qualia ex picturis ut dicunt Polygnoteis bene novimus. Hic poetam Graecae artis opera in mente habere, licet ab Amazonis confecta sint, plane apparet. Verum in longiorum parietum loco (nam revera tentorium ἄτοιχον est, vs. 1133) Persica tapetia sunt iis fabulosis figuris impleta, quibus per saecula non mutatis illarum regionum populi eximias suas texturas exornare solent. In angustis vero parietibus, unde in tentorium intrabatur, alia tapetia, ab

1) De Persico tentorio Alcibiadi donato cf. adnotationem antecedentem. — Artaxerxes Eutimo σκηνὴν οὐρανοφόρον ἀνθινήν mittit (Phaenias apud Athenaeum II 48 f,). Quid hoc sit, ipsa Euripidis descriptione, imprimis vss. 1143 sqq., optime illustratur. — Eiusdem generis tentorium Mardonius secum ducit κατασκευὴν (σκηνὴν Schweighaeuserus) χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ καὶ παραπετάσμασι ποικίλοισι κατεσκευασμένην (Herod. IX 82). in hac cenare solet, id quod Pausanias Mardonio victo imitatur.

2) „Neque ad meridiem neque ad occidentem", i. e. ad orientem, nam septentrionalis partis rationem habere omnino non licet. Cf. Xenoph. Cyrop. VIII, 5,3 εὐθὺς δὲ τοῦτο ἐνόμιζε Κῦρος, πρὸς ἕω βλέπουσαν ἵστασθαι τὴν σκηνήν.

Atheniensi quodam deo dedicata Cecropem populi proavum ostendebant[1]).

Tentorio confecto in mediis mensis aureae craterae ponuntur, praeco populares ad cenam invitat, cuius statim initium fit. De ipsa cena nuntius multo brevius refert quam de rebus cum ea coniunctis. Illa vitae humanae necessitas Euripidi, licet multas tenues res in hac narratione admiserit, tamen tragoediae sublimitate indigna esse visa est. Itaque nullo verbo commemorat, quidnam convivae ederint. In hac narrationis parte poeta etiam artius quam solet ad Homeri dictionem sese applicat. Nam verba

εὐόχθου βορᾶς ψυχὴν ἐπλήρουν

nos commonefaciunt Homerici enuntiati

ἵνα πλησαίατο θυμόν[2])

(e. g. τ 168) quod de edendo usurpatur. Sequentia vero verba

ὡς δ᾽ ἀνεῖσαν ἡδονὴν
. . ., παρελθὼν πρέσβυς κτλ.

examussim quasi Atticam versionem esse epicae formulae αὐτὰρ ἐπεὶ . . . ἐξ ἔρον ἕντο, quis hoc — scilicet praeter Euripidis novissimos editores — non videt?[3])

Iam expeditius oratio procedit. Memorabile est tam parvam sed sollemnem rem quam est illud ὕδωρ κατὰ χειρός,

---

1) Cogitari potest intextum fuisse, ut una cum pictura aspiceretur: ὁ δεῖνα Ἀθηναῖος ἀνέθηκε τῶι θεῶι.

2) Nam Graecorum opinionibus de animae natura saeculorum cursu plane conversis (ut Rohdius egregie demonstravit) fieri potuit, ut quinti saeculi hominibus id quoque ψυχήν dicere liceret, quod Homerus θυμόν vocaverat.

3) Etiam Murray verba lacuna versus 1171 non expleta edidit, atque popularium suorum sententias, quorum Badham <δαιτὸς> sive <βορᾶς>, Musgrave <δείπνων> coniecit, ne in apparatu quidem critico laudavit; eiusmodi genetivum a nomine ἡδονήν pendentem flagitari in propatulo est.

compluribus verbis narrari, deinde cetera omnia, quae convivii ritus secum fert. Gradus crescentis voluptatis certis regulis fixi quasi dramatis actus accurate notantur.

Liceat mihi paucos saltem versus exhibere, ut poetam quae narrat non fingere, sed tamquam speculo veritatem excipere appareat:

1177 ἐπεὶ δ' ἐς αὐλοὺς ἧκον ἐς κρατῆρά τε
κοινόν, γέρων ἔλεξ'· Ἀφαρπάζειν χρεὼν
οἰνηρὰ τεύχη σμικρά, μεγάλα δ' ἐσφέρειν,
ὡς θᾶσσον ἔλθωσ' οἵδ' ἐς ἡδονὰς φρενῶν.

Mos enim erat primum exiliora pocula apponi, quae tamen mox crescente hilaritate ac siti cum amplioribus commutabantur. Haec res in multis comoediarum fragmentis tangitur [1]), etiam poculorum speciem describi vel certe adumbrari (ἦν δὴ φερόντων μόχθος ἀργυρηλάτους χρυσέας τε φιάλας) in hoc genere narrationum sollemne est.

Ut igitur huius interpretationis longioris fortasse, at tamen necessariae, ut reliqua disputatio fundamentum sibi habeat, summam paucis complectamur, Euripides, cum magnam de convivio narrationem fingeret, cottidianae vitae exemplum quam artissime secutus est, commemoratis etiam minutiis quibusdam ad ipsam fabulae actionem nihil conferentibus nonnullisque rebus per ἔκφρασιν ut aiunt diligenter descriptis.

---

1) E. g. Alexis (Ath. 254a = II 336 K). Sophilus (Ath. X 431a = II 445 K):

συνεχὴς ἄκρατος ἐδίδοτ' ἴσον ἴσῳ. πάλιν
τὴν μείζον' ᾔτουν.

Epicrates (Ath. XI 782f = II 286 K):

κατάβαλλε τἀκάτια, <τὰ> κυμβία
αἶρον τὰ μείζω.

Menander (Ath. XI 502e = fr. 510 K). Dioxippus in Philargyro (Ath. XI 472b = III 359 K). — Eadem consuetudo etiam apud Romanos duravit. Leo mihi laudat Horat. epod. 9, 33, sat. II 8, 35; Petron. 65; Plut. Brut. 24.

Ex eiusdem generis narratione, quae inerat in Herma Astydamantis (fr. 3 N) tragici fabula nescio an satyrica, fragmentum servatum est apud Athenaeum XI 496 e:

> κρατῆρε μὲν πρώτιστον ἀργυρὼ δύο,
> φιάλας δὲ πεντήκοντα, δέκα δὲ κυμβία,
> ῥέοντα δώδεχ', ὧν τὰ μὲν δέκ' ἀργυρᾶ
> ἦν, δύο δὲ χρυσᾶ, γρύψ, τὸ δ' ἕτερον Πήγασος[1]).

Alterius narrationis fragmentum in versione latina servatum Alcestidis nos commonefacit, cum unius hominis in convivio facta narrentur: „postquam est oneratus frugum et floris Liberi" (Pacuvius 291 R).

Ad hanc narrationum convivalium speciem pertinet ea Vesparum oratio, de qua supra egimus. Neque deest alterum exemplum ex antiqua comoedia sumptum. Nam apud Athenaeum XI 783 d hosce versus Platonis (I 654 K) legimus:

> λύσας δὲ + ἀργὴν στάμνον εὐώδους ποτοῦ
> ἵησιν εὐθὺς κύλικος εἰς κοῖλον κύτος·
> ἔπειτ' ἄκρατον κοὐ τεταργανωμένον
> ἔπινε κἀξημύστισεν.

huius fragmenti sermonem tragoediam redolere manifestum est. E re videtur esse talium narrationum reliquias omnes cito perscrutari, ut clare appareat, quam late hoc genus pateat, verum tantum eas, ex quibus imprimis poetarum ratio et tragicorum exemplorum vis agnoscitur, diligentius examinare.

Ex antiqua comoedia, Attica nimirum, nam Epicharmum hoc quidem loco praetermitto, praeter illas, de quibus diximus, hae frustulae solae supersunt:

Theopompi (Ath. I 23 e = I 750 K):

---

1) Cf. Ionis vs. 1181 sq. — talia ῥυτά in bestiarum formas terminantia satis multa museorum nostrorum armaria implent, fictilia quidem, at aureorum argenteorumve vicem fabricata. nunc ne argentea quidem desunt, cf. Puschi-Winter annal. inst. arch. austr. 1902, 112 sqq.

ἐπίνομεν μετὰ ταῦτα . . . . . .
κατακείμενοι μαλακώτατ' ἐπὶ τρικλινίῳ,
Τελαμῶνος οἰμώζοντες ἀλλήλοις μέλη.

Nicocharis ex Galatea (Pollux X 93 = I 770 K):

σοφαῖσι παλάμαις τεκτόνων εἰργασμένον
καὶ πόλλ' ἐν αὐτῷ λέπτ' ἔχον καδίσκια
κυμινοδόκον

in qua iterum accurata vasculi in mensa positi descriptio notanda est nec non tragicus orationis color (ad vs. 1 cf. e. g. Eur. Alc. 348). Iam ad eos transimus, quos ut mediae comoediae poetas iure, si summam rei spectas, secernunt et ab antecedentibus et a posterioribus. Et Antiphanis quidem fragmenta haec exempla nobis praebent: in Agroeco (vel Ἀγροικίσιν) (Ath. XV 692 f = II 14 K) cena finita ipsius convivii initium sic narratur:

Ἁρμόδιος ἐπεκαλεῖτο, παιὰν ᾔδετο,
μεγάλην Διὸς σωτῆρος ἄκατον ἦρέ τις.

Verum ad medium lautitiarum, quod aiunt, clivum alio fragmento trahimur plane tragicum sonanti: (Ath. XI 781 e = II 115 K):

ἄλλοι δὲ καὶ δὴ βακχίου παλαιγενοῦς
ἀφρῷ σκιὰ + καὶ [1]) χρυσοκόλλητον δέπας
μεστὸν κύκλῳ χορεῦον ἕλκουσι γνάθοις
ὁλκῆς ἀπαύστοις, παντελῶς ἐστραμμένον
τἄνω κάτω δεικνύντες.

Ad cenae novam partem narrandam solita coniunctione transitur: (Ath. II 46 c = II 127 K):

ἐπεὶ δ' ὁ τρίπους ἤρθη κατὰ χειρῶν τ' εἴχομεν (?)

Haud mirum est quod comoediarum ganeones, quibus, ut Varro ait, modulus est vitae culina, maximam sollicitudinem enumerationi singulorum cuiusque cenae ferculorum

1) σκιὰ καὶ libri epitomae; verba corrupta, σκιασθὲν Valckenarius, vix recte, cf. Kaibelii adnotationem.

praestant diligenterque cavent, ne ordinem eorum turbent neve quid praetermittant. Talium catalogorum satis multa fragmenta apud Athenaeum legimus. Cum novo quoque ferculo nova semper narrationis pars incipit; quo fit, ut comicus poeta fere eodem modo orationis incisiones instituere possit, quo tragicus facit, cum magnarum actionum progressus significare vult [1]).

De novis ferculis allatis narratur in Lemniarum fragmento (Ath. VI 230 d = II 70 K):

παρετέθη τρίπους
πλακοῦντα χρηστόν, ὦ πολυτίμητοι θεοί,
ἔχων ἐν ἀργυρῷ τε τρυβλίῳ μέλι·

et in Similibus (Ath. XIV 642 a, XI 471 c = II 82 K):

εἶτ' ἐπεισῆγεν χορείαν ἡ τράπεζαν δευτέραν,
καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς.
ὡς δ' ἐδείπνησαν (συνάψαι βούλομαι γὰρ τἀν μέσῳ)
καὶ Διὸς σωτῆρος ἦλθε Θηρίκλειον ὄργανον,
τῆς τρυφερᾶς ἀπὸ Λέσβου σεμνογόνου σταγόνος
πλῆρες, ἀφρίζον, ἕκαστος δεξιτερᾷ δ' ἔλαβον.

Unde apparet hunc nuntium in descriptione variorum bellariorum in secunda mensa rite allatorum non tantum temporis consumere quantum solent.

Ex Anaxandridis fragmentis unum huc referendum est ex Agroecis sumptum (Ath. XIV 642 b = II 136 K), in quo de initio cenae narratur.

In Eubuli Ione copiosa narratio erat, cuius duo frusta servata sunt. Primum (Ath. IV 169 f = II 177 K) ferculorum catalogi pars est, in altero (Ath. VII 300 c = II 177 K) nuntius de novo quodam repositorio magnifice sic verba facit:

μετὰ ταῦτα θύννων μεγαλόπλουτ' ἐπεισέπλει
ὑπογάστρι' ὀπτῶν αἵ τε λιμνοσώματοι

1) cf. amplae narrationis fragmenta, quae ex Epicharmi Hebae Nuptiis excerpta sunt (fr. 44—72).

Βοιώτιαι παρῆσαν ἐγχέλεις θεαὶ
τεῦτλ' ἀμπεχόμεναι [1])

hoc tragico stilo scriptum esse manifestum est. Sed num poeta cum in tota fabula tum in hac narratione Euripidis Ionem deriserit, plane incertum est. Ex eiusdem poetae Nutricibus Athenaeus (XV 685 e = II 204 K) hosce versus laudat:

ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὰ γερόντια τότ' εἰς δόμους,
εὐθὺς ἀνεκλίνετο· παρῆν στέφανος ἐν τάχει,
ᾔρετο τράπεζα, παρέκειθ' ἅμα τετριμμένη
μᾶζα χαριτοβλέφαρος.

hoc initium quam maxime nos commonefacit narrationis Vesparum non solum argumento, verum etiam forma similis. Nam et hic et illic res ab uno seniculo in convivio gestae narrantur. Forma autem utrubique a tragoediarum orationibus deprompta est. Nam primum nuntius paucis versibus summam rei, i. e. cenae effectum narrat, deinde ad id tempus, quo senex e scaena abiit, revertens pergit:

Vesp. 1304: εὐθὺς γὰρ ὡς ἐνέπλητο πολλῶν κἀγαθῶν
ἐνήλατ', ἐσκίρτα κτλ.
vel: ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὰ γερόντια τότ' εἰς δόμους,
εὐθὺς ἀνεκλίνετο.

apodosis et in Vesparum loco et apud Eubulum et in Plauti Terentiique eiusmodi narrationibus rapida asyndetorum serie decurrit. Ceterum notandum est Eubuli narrationem canticum esse (paeones enim sunt illi versus)[2]);

---

1) a me impetrare non possum, ut Kaibelio assentiar, qui vs. 2 pro tradito λιμνοσώματοι: ἐχιδνοσώματοι edidit. Scilicet Copaidis paludis anguillae absurde certe, sed vere διθυραμβώδως appellantur λιμνοσώματοι. — „Il ne faut pas trop presser ce magnifique galimatias," ut Mazon adnotat ad Aristophanis nescio quam parodiam.

2) cf. Antiphanis Similium narrationem p. 22 exscriptam, ubi tetrametris trochaicis passim unus vel complures versus dactylici ex duabus tripodiis compositi inseruntur.

monodiae, quas iam in ultimis Aristophanis fabulis invenimus, in media comoedia late patebant.

Formam transitus nobis iam notam invenimus in Ephippi Ephebis (Ath. XIV 642 e = II 255 K):

χόνδρος μετὰ ταῦτ' εἰσῆλθε μύρον Αἰγύπτιον,
φοινικίνου βῖκός τις ὑπανεῴγνυτο,
ἴτρια τραγήματ' ἧκε κτλ.

eodemque pertinet Cydonis eiusdem poetae fragmentum misere lacerum, quod sequitur apud Athenaeum:

καὶ μετὰ δεῖπνον κόκκος . . .
ἐρέβινθος . . . κύαμος

deinde longus bellariorum catalogus. Aristophontis Geminorum fragmentum (Pollux IX 71 = II 276 K) notare satis habeo.

Alexis quoque unius convivae mores tragico stilo describit in Hippisco (Ath. XI 471 b = II 299 K) itemque in Hesionae duobus fragmentis (Ath. IX 367 f et XI 470 e = II 324 K, nam haec unius orationis fragmenta esse apparet) quorum priore narratur, quo modo conviva ille in initio cenae se gesserit, altero e gravissima crapula vix suscitatum mentisque compotem factum, ut fieri solet, denuo poculum poscere avideque potare audimus (Callidamates, Callidamates, vigila — vigilo, cedo bibam).

Aliquanto plus valet aliud eiusdem poetae fragmentum ex Dropida sumptum (Ath. III 125 f = II 317 K):

εἰσῆλθεν ἡταίρα φέρουσα τὸν γλυκὺν
ἐν ἀργυρῷ ποτηρίῳ, πετάχνῳ τινὶ
ἀστειοτάτῳ τὴν ὄψιν, οὔτε τρυβλίῳ
οὔτε φιάλῃ· μετεῖχε δ' ἀμφοῖν τοῖν ῥυθμοῖν.

Quam urbana est ipsa poculi ἔκφρασις, credas vasculum argenteum ante oculos habere. Tales accuratas descriptiones harum narrationum non parvum ornamentum esse iam vidimus porroque videbimus. Atque argenteorum vasorum usus his demum temporibus, Alexidis Philippique

dico, paullo latius pertinere incipiebat[1]). Deliciis igitur fuerit huic illi civium, ipsi quoque pretiosorum vasorum possessori, si istae elegantiae disertis verbis de scaena praedicabantur atque imagines rerum quas unusquisque adamabat quasi praesentes animis obversabantur[2]). Eiusdem rei aliud exemplum in Equitis fragmento praesto est (Ath. XI 481 f = II. 328 K):

τά τε κυμβία
⟨ἆρ'⟩ ἦν πρόσωπ' ἔχοντα χρυσᾶ παρθένων;
B. νὴ τὸν Δί', ἦν γάρ. A. ὢ τάλαιν' ἐγὼ κακῶν.

Unde conicimus, narrantem mulierem (nam duas mulieres loqui verisimilius est) antecedentibus verbis accuratam vasculorum descriptionem dedisse. Altera mulier stuporem suum ea quam legimus interrogatione manifestat[3]). Comicas narrationes hoc modo interrumpi solere iam vidimus. Quantam diligentiam in vasculorum formis quam accuratissime describendis Alexis adhibuerit, bene cognoscitur e fragmento incertae fabulae apud Athenaeum XI 784 d servato (= II 397 K):

τὴν ὄψιν εἴπω τοῦ ποτηρίου γέ σοι
πρώτιστον. ἦν γὰρ στρογγύλον, μικρὸν πάνυ,
παλαιόν, ὦτα συντεθλασμένον σφόδρα,
ἔχον κύκλῳ τε γράμματ'. B. ἆρά γ' ἕνδεκα
χρυσᾶ 'Διὸς σωτῆρος'; A. οὐκ ἄλλου μὲν οὖν.

De novo ferculo refertur fragmento Gubernatoris (Ath. XIV 652 c = II 339 K):

εἰσέβαινον ἰσχάδες
τὸ παράσημον τῶν Ἀθηνῶν, καὶ θύμου δέσμαι τινές.

1) Bdelycleo, quamvis in divitis hominis triclinio sese cenare fingat, tamen patri tantum praecipit:

ἐπαίνεσόν τι τῶν χαλκωμάτων.

2) Neque alia de causa Theocritus Thyrsidi epyllio (I 27 sqq.) praeclaram illam poculi descriptionem inseruit.

3) cf. Epicharmi fr. 124.

Pulchrum Cycni fragmentum (Ath. XI 472 a = II 339 K) ita comparatum est, ut ex qualibet tragoedia excerptum esse facile putares. Nam et metrum (in quo etiam Aristophaneae parodiae — trimetrorum scilicet — magna pars posita est) et delectus compositioque verborum plane ad illam sublimiorem artem quadrat:

φαιδρὸς δὲ κρατὴρ θηρίκλειος ἐν μέσῳ
ἕστηκε λευκοῦ νέκταρος παλαιγενοῦς
πλήρης, ἀφρίζων. ὃν λαβὼν ἐγὼ κενὸν
τρίψας, ποήσας λαμπρόν, ἀσφαλῆ βάσιν
στήσας, συνάψας καρπίμοις κισσοῦ κλάδοις
ἔστεψα.

ad primos versus cf. Ionis 1165

χρυσέους τ' ἐν μέσῳ συσσιτίῳ
κρατῆρας ἔστησε.

Minora, quam ut de stilo distinctius iudicari queat, narrationum fragmenta non pauca exstant, velut ex Locris (Ath. III 123 e = II 347 K) ubi manuum lavatio describitur, ex Pamphila (Ath. IX 380 e = II 360 K), ex Leucadia (Ath. III 94 f = II 344 K) de novo quodam ferculo, ex Lemnia (Pollux X 100 = II 345 K) ex Pyrauno (Ath. XIV 663 f = II 372 K) ex incertis fabulis (Ath. I 30 f = II 401 K et Ath. I 23 e = II 402 K).

Paullo plus dicendum est de maiore fragmento, quo convivam cenae initium describentem audimus (Ath. II 60 a = II 392 K). In divitis hominis triclinio insolito modo opulentam cenam factam esse iam ex primi repositorii descriptione intellegitur. Atque conviva postquam multis verbis affirmavit non vulgares cibos, quales in mensis esse solent, appositos esse, ita pergit

ἀλλὰ παρετέθη
ὑπερηφάνως ὄζουσα τῶν Ὡρῶν λοπάς,
τὸ τοῦ πόλου τοῦ παντὸς ἡμισφαίριον.
ἅπαντ' ἐνῆν τἀκεῖ γὰρ ἐν ταύτῃ καλά,

ἰχθῦς, ἔριφοι, διέτρεχε τούτων σκορπίος,
ὑπέφαινεν ᾠῶν ἡμίτομα τοὺς ἀστέρας,
ἐπεβάλομεν τὰς χεῖρας κτλ.

Iam his igitur temporibus coquorum sollertia illum ludum invenit, cuius novitatem Trimalchionis convivae admirantur (Petron. c. 35). Interest tamen, quod in cena ab Alexide descripta cibi zodiaci signis respondentes verae epulae sunt, Trimalchionis vero astronomicum repositorium, cum ciborum speciem imitetur, veras epulas tegit.

Etiam Pancratiastae fragmentum (Ath. VI 242 d = II 359 K) ex narrationis initio sumptum est. Nuntius convivas enumerat:

πρῶτον μὲν ἦν σοι Καλλιμέδων ὁ Κάραβος,
ἔπειτα Κόρυδος, Κωβίων, Κυρηβίων,
ὁ Στόμβρος, ἡ Σεμίδαλις. B. Ἡράκλεις φίλε,
ἀγοράσματ', οὐ συμπόσιον εἴρηκας, γύναι.

solebant enim (neque nos aliter facimus, si de convivio narramus) primum enumerare, qui fuerint sodales. Hoc iam factum vidimus in initio narrationis Vesparum (1301 sq.):

καίτοι παρῆν Ἵππυλλος, Ἀντιφῶν, Λύκων,
Λυσίστρατος, Θούφραστος, οἱ περὶ Φρύνιχον [1]).

Memorabile est in Alexidis enumeratione nomina allitteratione quam dicere solemus inter se coniuncta esse. Plane eodem modo loquentem audimus Stasimum Plautinum et ipsum e convivio venientem. Qui in soliloquio haec profert (Trin. 1018):

an vero, quia cum frugi hominibus
ibi bibisti, qui ab alieno facile cohiberent manum?
Truthus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus etc.

---

1) Ex tali enumeratione nescio an sumptum sit fragmentum Trophonii (Ath. VI 242 c):

εἶθ' ὁ Μοσχίων,
ὁ παραμασήτης ἐν βροτοῖς αὐδώμενος.

Nescio igitur, an Plautus in hoc litterarum ludo Philemonem secutus sit [1]). Omnino vero illa orationis figura Italorum linguis maxime usitata ne a Graeca quidem comoedia aliena est [2]).

Ultimo loco agendum mihi est de ea Alexidis convivali narratione, quae inter omnes plurimum de huius generis formis nos docet. Ex fabula enim quae vocatur Εἰσοικιζόμενος Athenaeus (XV 691 e = II 318 K) hos versus servavit

οὐ γὰρ ἐμυρίζετ' ἐξ ἀλαβάστου, πρᾶγμά τι
γινόμενον ἀεί, χρονικόν, ἀλλὰ τέτταρας
περιστερὰς ἀφῆκεν ἀποβεβαμμένας
εἰς οὐχὶ ταὐτόν, μὰ Δία, τὴν αὐτὴν μύρον,
ἰδίῳ δ' ἑκάστην. πετόμεναι δ' αὗται κύκλῳ
ἔρραινον ἡμῶν θαἰμάτια καὶ στρώματα.
μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι·
ἠλειφόμην ὑόμενος ἰρίνῳ μύρῳ.

Hoc soliloquium esse manifestum est. Nam poeta versum (7):

μή μοι φθονήσητ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι

ex Euripidis Telepho depromere non potuit, quin soliloquio eum insereret. Nam quae personae in comoedia appellari possunt ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι nisi spectatores [3])?

---

1) Asin. 865 sqq. ludus Plautinus est. Artemona amicos viri sic nominare incipit, quasi omnes per totum alphabetum pernumerare velit, ab A littera incipiens. Sequitur autem ordinem latinum. In exemplo Graeco si fuit idem ludus, nomina certe diversa fuerunt.

2) cf. e. g. similem sociorum catalogum ex Alexidis Tarentinis sumptum (Ath. IV 161 c = II 378 K):

ἆρ' οἶσθ' ὅτι
Μελανιππίδης ἑταῖρός ἐστι καὶ Φάων
καὶ Φυρόμαχος καὶ Φᾶνος

3) Ceterum ex illa allocutione sequitur chorum in huius quidem fabulae actione locum non habuisse; quae res memoria digna est, cum sciamus iam apud Alexidem ut apud Menandrum inter singulos actus

Videmus igitur formam in nuntiorum narrationibus excultam traduci in soliloquium. Hoc iam a mediae comoediae poetis factum esse animo tenebimus, cum eandem rem in novae comoediae soliloquiis haud semel inveniemus. Ut illius narrationis sane festivae argumentum uno saltem verbo tangamus, columbae variis murris unctae Trimalchiana luxuria haud indignae forent.

Felici casu etiam alterum eiusdem formae, de qua modo egimus, exemplum, hoc quoque Alexidis, tenemus. In Syntrophis enim soliloquium inerat, cuius initium hoc est (Ath. X 419 b = II 376 K):

ὡς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον· οὔθ' ὑπεργέμων
ἀπέρχομαι νῦν οὔτε κενός, ἀλλ' ἡδέως
ἔχων ἐμαυτοῦ. Μνησίθεος γάρ φησι δεῖν
φεύγειν ἁπάντων τὰς ὑπερβολὰς ἀεί.

Vix dubito, quin hanc generalem sententiam verbosa descriptio cenae, unde conviva progressus est, secuta sit. Cuius speciem Isoecizomeni narratio nobis repraesentare potest. Idem poeta soliloquium personae e convivio venientis fecerat in Subditivo (Ath. XI 502 b = II 386 K), sed hoc diversum soliloquii genus est, verba enim:

ἐγὼ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως τέτταρα
χυτρίδι' ἀκράτου τῆς τ' ἀδελφῆς προσλαβὼν
τῆς τοῦ βασιλέως ταῦτ', ἀπνευστί τ' ἐκπιὼν
ὡς ἄν τις ἥδιστ' ἴσον ἴσῳ κεκραμένον,
καὶ τῆς Ὁμονοίας δύο, τί νῦν μὴ κωμάσω
ἄνευ λυχνούχου πρὸς τὸ τηλικοῦτο φῶς;

---

cantica a choro quodam cantata esse, (Leo, Herm. XLIII 308). De appellatione ἄνδρες egit Leo Monolog im Drama 79 sq. Cuius disputationi addi potest hanc appellationem iam in antiquae comoediae prologis usitatam fuisse, cf. fragmenta ex Hyperboli Platonici prologo excerpta (frg. 3, 4, Mein = I, 643 K) — nam hosce versus ad comoediae prologum pertinere constat, cf. Aristophanis Equit. 36 — praeterea Dioclis fragmentum incertum (1 Mein = I 769 K).

non narrationis, sed cogitationis initium sunt (cf. Leo, Monolog p. 71).

Iam satis de Alexide. In Epigenis fragmento (Βακχεία Ath. III 75 d = II 417 K) novum ferculum solito modo descriptum audimus:

εἶτ' ἔρχεται
χελιδονείων μετ' ὀλίγον σκληρῶν ἁδρὸς
πινακίσκος.

Maximi vero pretii nobis est Dromonis fragmentum ex Psaltria fabula excerptum, unde denuo luculente apparet, quam arte poetae toto hoc genere tragoediae exemplum secuti sint. Verba sunt haec (Ath. IX 409 e = II 419 K):

ἐπεὶ δὲ θᾶττον ἦμεν ἠριστηκότες,
⟨ὁ παῖς⟩ περιεῖλε τὰς τραπέζας, νίμματα
ἐπέχει τις, ἀπενιζόμεθα, τοὺς στεφάνους πάλιν
τοὺς ἑσπερίνους λαβόντες ἐστεφανούμεθα.

notanda est apodosis ex tot asyndetis composita; quam figuram in huiusmodi narrationibus, ut vividior oratio videatur, et Graeci et Romani poetae adamant.

Etiam Timoclis Heroum narratio, cuius fragmentum Athenaeus servavit (X 455 f = II 457 K), altiore stilo scripta est:

ὡς δ' ἦν ἡρμένη
βίου τιθήνη, πολεμία λιμοῦ, φύλαξ
φιλίας, ἰατρὸς ἐκλύτου βουλιμίας·
τράπεζα. B. περιέργως γε, νὴ τὸν οὐρανόν·
ἐξὸν φράσαι τράπεζα συντόμως.

Hic praeter tragicam dictionem etiam griphi ludus immixtus est[1]), inde ab Euripide tragicis comicisque poetis hercle nimis dilectus. Ex huius frustuli verborum copia

1) Valde similiter atque in famosis Antiopae Pacuvianae versibus (frg. 42) (cum quibus nunc conferendae sunt Cyllenae in Ichneutis facetiae).

sane conici potest, quam larga fuerit integra cenae descriptio. — Etiam in alio eiusdem poetae fragmento conviva de cena narrat (Ath. III 109 c = II 465 K).

Iam ad novae comoediae poetas venimus. E Philemonis comoediis casu unum tantum convivalis narrationis fragmentum servatum est, ex fabula quam vocavit Μετιών (Ath. VIII 340 e = II 489 K):

Ἀγύρριος δὲ παρατεθέντος καράβου
ὡς εἶδεν αὐτὸν ‘χαῖρε πάππα φίλτατε’
εἴπας τί ἐποίει; τὸν πατέρα κατήσθιεν.

Ex Menandri vero reliquiis huc pertinent Heautontimorumeni versus (Ath. XIV 651 a = III 43 K), qui de bellariis post cenam appositis agunt, Theophorumenes (Ath. XI 472 b = III 65 K), Perinthiae (Ath. VII 301 b) de novo ferculo, Philadelphorum (Ath. XI 484 d = fr 503 K) ubi magnifica cena describitur Persicis instructa apparatibus, quos horum temporum Athenienses minime oderunt. In fragmento fabulae cui inscribitur Χαλκεῖα de extremi convivii tumultibus narratur (Ath. XI 502 e = fr. 510 K).

Diphili duo fragmenta atque ea lepidissima huc pertinent. Ex Pictore fabula hi versus servati sunt (Ath. VI 230 f = II 555 K):

ἄριστον ἐπεχόρευσεν ἐκλελεγμένον,
εἴ τι νέον ἢ ποθεινόν· ὀστρέων γένη
παντοδαπά, λοπάδων παρατεταγμένη φάλαγξ,
ὀπτῶν ἐπῆγε σωρὸς ἀπὸ τοῦ τηγάνου,
τριμμάτια τούτοις ἐν θυΐαις ἀργυραῖς.

Facete sane rei militaris technici quos dicimus termini totum sermonem ad narrationis de pugna quadam factae (qualis est in Heraclidis vel in Amphitruone) altitudinem efferunt (ὀστρέων γένη, λοπάδων φάλαγξ, ἐπῆγε). Simili modo apud Plautum Ergasilus (Capt. IV 3) cibariis bellum indicit. Festivum vero verbum ἐπεχόρευσεν de recenti ferculo usurpatum iterum legimus in altero de

quo modo dixi fragmento ex Peliadibus sumpto (Ath. IV 156 f = II 562 K):

τὸ δειπνάριον ἀνθηρὸν ἦν, γλαφυρὸν σφόδρα·
φακῆς κατ' ἄνδρα τρυβλίον μεστὸν μέγα.
B. πρώτιστον οὐκ ἀνθηρόν. A. ἐπὶ ταύτῃ φέρων
εἰς τὸ μέσον ἐπεχόρευσε σαπέρδης μέγας κτλ.

Ex magna cenae descriptione Philippidis fragmentum (Ath. IX 384 e = III 302 K) sumptum est, oratione directa memorabile. Ex alia huius poetae fabula tenemus finem catalogi ciborum in cena appositorum (Ath. XIV 640 d = III 307 K). Aliud Philippidis fragmentum testimonio nobis est non deesse in nova comoedia istas vasculorum ἐκφράσεις, quibus mediae comoediae poetas gaudere vidimus. Legimus enim apud Athenaeum XI 781 f (= III 309 K):

τὰ ποτήρι' ἂν ἴδῃς τὰ παρεσκευασμένα·
ἅπαντα χρυσᾶ, τρόφιμε, νὴ τὸν οὐρανόν,
ὑπερήφαν', ἀγὼ μὲν παρεξέστην ἰδών [1]).
κρατῆρες ἀργυροῖ, κάδοι μείζους ἐμοῦ.

In fragmento comico anonymo (IV 676 Mein. = III 604 K = frg. trag. adesp. 418 N.) vivis coloribus convivii hilaritas depingitur, ita tamen, ut et sermo et metrum aliquid tragici sonent. Quod huius generis narrationum proprium esse tam saepe vidimus, ut vix assentiar Nauckio hoc fragmentum tragoediae tribuenti.

Iam mediae novaeque comoediae reliquiis perquisitis atque ibi exemplis narrationum de cenis factarum inventis permultis, ipsa re eo adducimur, ut quaeramus, quaenam in integris fabulis, scilicet apud Plautum et Terentium, huius generis vestigia insint. Sed frustra quaerimus. Nam mirabile dictu in tanta fabularum copia ne una quidem huius modi narratio inest. Loquuntur sane fabularum personae de cenis et factis et faciundis, etiam ante

1) Versum emendavit Leo, cl. Polyb. 32, 7, 6. ὑπερήφανα ἐγὼ μὲν γὰρ ἐξ. libri epitomae.

spectatorum oculos haud semel convivium fit, sed nusquam neque apud Plautum neque apud Terentium dedita opera de cena ita narratur, ut apud Graecos saepissime fieri vidimus. Hoc in viginti sex fabulis mero casui tribuendum esse ego quidem vix credam. Rectius de hac re iudicabimus, si in animum revocaverimus, qua ratione adducti Graeci poetae, tragici primum, deinde horum exemplum secuti comici, has narrationes fabulis inseruerint. Iam diximus in fabulis de conviviis severo ordine referri multasque res velut vascula diligenter describi nulla alia de causa, quam quod in eorum temporum vita summum erat convivia ad regulam celebrare lautisque apparatibus exornare. Romae vero etsi convivia, non tamen leges conviviorum erant, magisque quaerebatur, quid quam quo modo quoque ordine ederetur. De industria igitur Romani poetae eas exemplarium partes praetermiserunt, quibus Romanae vitae consuetudines parum respondere intellegebant [1]; eadem de causa eos etiam comissantium choros interdum inter singulos actus Atticarum fabularum interiectos multaque alia, quae nos fugiunt, omisisse verisimile est [2]. Dignum hoc erat prudenti veteris Latinae poeseos ingenio [3].

---

1) „Zu der raffinierten Kneip- und Bordell-Wirtschaft Athens stand der römische Bürger- und Bauersmann ungefähr wie der deutsche Kleinstädter zu den Mysterien des Palais Royal. Die eigentliche Küchengelehrsamkeit ging nicht in seinen Kopf; die Eßpartien blieben freilich auch in der römischen Nachbildung sehr zahlreich, aber überall dominiert über die mannigfaltige Bäckerei und die raffinierten Saucen- und Fischgerichte der derbe römische Schweinebraten". Mommsen, R. G. I⁹, 899.

2) Unam quidem rem, quia magni momenti est, verbo tetigerim. In nulla, quantum e fragmentis cognosci potest, Graeca fabula argumentum mythologicum tam integre tractatum erat quam in Plauti Amphitruone. Nam apud Graecos ubique sescentiens scurriliter ad novellorum temporum res atque personas alludebatur. Itaque quam nostrates dicunt illusionem, ea apud Plautum multo maior est quam

Quod hac disputatiuncula de comoediae narrationibus convivalibus demonstravimus, eas formatas atque excultas esse secundum tragoediae exemplar, id etiam in diversa narrationum argumenta cadere in promptu est et certe exemplis comprobari posset, modo reliquiarum praeter eas quae de rebus culinariis sunt satis magnus numerus suppeditaret. Tamen in tanta testimoniorum paucitate unius generis historiam adumbrare saltem nobis licet.

Venustate plenum est Ecclesiazusarum illa narratio, qua Chremylus Blepyrum de contione populique consiliis certiorem facit. Totam narrationem diligenter dispositam esse manifestum est. Iuvabit hanc dispositionem indagare. Ac primum quidem de argumento refertur, cuius causa concilium convocatum est (quod nos „Tagesordnung“ dicimus) vs. 396 sq. Tum statim primus orator nominatur, notus in populo homo. Pauca tantum illum loqui populus sinit. Hoc loco (404) auditor narrantem interrumpit, ut mos est comoediae, deinde Chremylus ita pergit:

μετὰ τοῦτον Εὐαίων ὁ δεξιώτατος
παρῆλθε γυμνός, ὡς ἐδόκει τοῖς πλείοσιν.

Sequitur eius oratio

μετὰ τοῦτο τοίνυν εὐπρεπὴς νεανίας
λευκός τις ἀνεπήδησ', ὅμοιος Νικίᾳ,
δημηγορήσων, κἀπεχείρησεν λέγειν,
ὡς χρὴ παραδοῦναι ταῖς γυναιξὶ τὴν πόλιν.

Post duos igitur notos homines tertius ignotus inducitur, cuius facies accurate describitur. Huius consilium postea vincit.

---

fuerit in exemplis Graecis. Romanis enim spectatoribus ipsum argumentum aliquid novi eoque intellectu difficile erat, Graecis inde a pueris tritum ita, ut apud eos res mythologicae liberis poetarum ludis inservirent.

3) „Plautus, und vor ihm Naevius, ist der Gefahr entgangen, das römische Leben zu graecisieren; er hat das Spiegelbild des attischen Lebens wahrhaft romanisiert.“ Leo, Pl. F.[2] 187.

Facete igitur poeta audientium exspectationem retardatione quadam auxit, ut summam rei tanto efficacius proferret. Nunc cum hac narratione Euripidis Orestem comparemus.

Illic quoque nuntius primum de argumento refert (885 sq.), quam rem Euripides vitam accuratius imitatus quam Aristophanes a praecone enuntiari facit. Pergit nuntius:

κἀπὶ τῷδ' ἀνίσταται
Ταλθύβιος, ὅς σῷ πατρὶ συνεπόρθει Φρύγας.

sequentibus versibus de Talthybii oratione refertur. Tum (897):

ἐπὶ τῷδε δ' ἠγόρευε Διομήδης ἄναξ.

de huius quoque oratione, sed brevissime tantum refertur.

902: κἀπὶ τῷδ' ἀνίσταται
ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει,
Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος, ἠναγκασμένος (?),
θορύβῳ τε πίσυνος κἀμαθεῖ παρρησίᾳ,
πιθανὸς ἔτ' αὐτοὺς περιβαλεῖν κακῷ τινι [1]).
ὃς εἶπ' Ὀρέστην καὶ σὲ ἀποκτεῖναι πέτροις
βάλλοντας·

Tertius igitur procedit ignotus homo; de cuius oratione prius quam refert, nuntius narrat, qualis ipse esse visus sit. Consilium ab illo prolatum deinde a populo accipitur.

Euripideam artem Aristophani magistram fuisse, cum contionem describere sibi proposuisset, iam satis apparere existimo. Tamen, cum maior pars Euripidis fabularum perierit neque sciamus, an etiam in aliis similes narrationes infuerint, vix contendere auderem Orestis narrationem Aristophanis exemplar fuisse, nisi iam antea vidissemus hanc ipsam orationem Athenis celeberrimam ac singula eius verba populo bene nota fuisse (cf. s. p. 12).

1) Recte vss. 907—13 a Kirchhoffio seclusi sunt.

Sed raro casu eiusdem exempli imaginem etiam in media comoedia invenimus.

In Ephippi enim Nauago (Ath. XI 509 c = II 257 K) de contione narratur. Iam alii dixerunt:

ἔπειτ' ἀναστὰς εὔστοχος νεανίας
τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τις ὑπὸ Πλάτωνα καὶ
Βρυσωνοθρασυμαχειοληψικερμάτων,
πληγεὶς ἀνάγκῃ ληψολιγομίσθῳ τέχνῃ
συνών τις, οὐκ ἄσκεπτα δυνάμενος λέγειν,
εὖ μὲν μαχαίρᾳ ξύστ' ἔχων τριχώματα,
εὖ δ' ὑποκαθιεὶς ἄτομα πώγωνος βάθη,
εὖ δ' ἐν πεδίλῳ πόδα τιθεὶς κτλ.

sequitur perlonga habitus descriptio[1]), deinde:

ἔλεξεν· 'ἄνδρες τῆς Ἀθηναίων χθονός'.

hic homo plane eodem modo atque apud Euripidem pingitur[2]).

Id denuo animadvertendum est ineuntis quarti saeculi comoediam non tam vitae speculum esse quam vitae radios ex Euripideae artis speculo repercussos reddere.

Quem ad modum comici et cenarum et contionum descriptiones ad tragoediae exemplar formaverint, vidimus. Hoc loco obiter tangenda est tertia narrationum series, ubi rursus poetas comicos non propriis inventis uti sed alienas formas mutuari demonstrari potest.

Inveniuntur enim in media comoedia complures magnorum itinerum descriptiones; huius generis reliquiae nobis servatae sunt ex Demetrii Sicilia (Ath. III 109 a =

1) Ad singulas huius descriptionis res cf. eam quam de Academicis Antiphanes in Antaeo dat (Ath. XII 544 f. = II 23 K).

2) Similiter in initio narrationis de contione factae hos versus Platonis positos fuisse credam (Mein. II 679 = I 651 K):

μετὰ ταῦτα δὲ
Εὐαγόρου παῖς ἐκ πλευρίτιδος † Κινησίας
σκελετός, ἄπυγος, καλάμινα σκέλη φορῶν,
φθόης προφήτης, ἐσχάρας κεκαυμένος
πλείστας ὑπ' Εὐρυφῶντος ἐν τῷ σώματι.

I 795 K) atque ex Eubuli Cercopibus (Ath. XIII 567 c, X 417 d = II 181 sq. K). Vix dubium esse potest, quin hae narrationes tragicam formam imitentur. Tragicus autem poeta exemplum secutus erat narrationum Ulixis, nam ex Odyssia tota haec stirps succrevit. Ab his narrationibus non seiungenda sunt vaticinia, quae de itineribus faciendis dantur. Et Cratinus quidem in Seriphiis ipse Homeri vestigia presserat non aliter atque in Ulixibus. Conferas velim Seriphiorum fragmenta cum Circae vaticiniis in Odyssiae libro duodecimo. Timocles autem in Icariis (Ath. VIII 342 a = II 458 K) non carmen epicum, sed Aeschyli Prometheum Vinctum imitatus est, ut Iacobsius vidit. Aeschylus rursus sese arte ad Homerum applicavit; Prometheus Ioni eodem modo singulas itineris partes enarrat quo Circa Ulixi monetque, quid quoque loco petendum sit, quid evitandum. Atque plane eiusdem generis vaticinia erant etiam in Prometheo Soluto, ubi Homeri imitatio etiam facilius agnoscitur.

Ex Prometheo Soluto pendet Theopompi Theseus (II 798 M = I 737 K). cf. huius fragmentum:

ἵξῃ δὲ Μήδων γαῖαν, ἔνθα καρδάμων
πλείστων ποιεῖται καὶ πράσων ἀβυρτάκη

cum verbis Aeschyleis (frg. 199 N):

ἥξεις δὲ Λιγύων εἰς ἀτάρβητον στρατόν,
ἔνθ' οὐ μάχης, σάφ' οἶδα, καὶ θοῦρός περ ὢν
μέμψῃ κτλ.

vel frg. 196 N:

ἔπειτα δ' ἥξεις δῆμον ἐνδικώτατον
⟨βροτῶν⟩ ἁπάντων καὶ φιλοξενώτατον,
Γαβίους, ἵν' οὔτ' ἄροτρον οὔτε γατόμος
τέμνει δίκελλ' ἄρουραν, ἀλλ' αὐτόσποροι
γύαι φέρουσι βίοτον ἄφθονον βροτοῖς.

Videmus Theopompum superlativos Aeschyleos suo more illusisse.

Similis est etiam Ranarum scaena, in qua Hercules Libero viam in Orcum ferentem deinceps describit praedicitque, quid quoque loco ei immineat. Incipit enim:

137 εὐθὺς γὰρ ἐπὶ λίμνην μεγάλην ἥξεις πάνυ ἄβυσσον.

Cf. etiam sequentia, imprimis vero

vs. 154: ἐντεῦθεν αὐλῶν τίς σε περίεισιν πνοὴ κτλ.

Restat, ut reliquas novae comoediae narrationes contemplemur. Qua in re tria genera secernenda sunt; nam et veros nuntios ibi invenimus et dialogos, quarum altera persona in simplici narratione formam a nuntiis mutuatur, et soliloquia ad illarum narrationum normam comparata. Primum igitur de iis personis, quae proprie tragoediae nuntiis respondent, disseramus.

Amphitruonis Plautinae Sosiam, cum narrationem de pugna facta sibi effingat, nuntios tragicos imitari constat[1]). Servus solus praemeditatur, quid deinde coram era sua mentiturus sit (201 sq.). Similem scaenam iam apud Epicharmum (frg. 99 K) inveniri, ubi Ulixes soliloquio orationem excogitat, quam hostibus habiturus est, Leo me monet[2]). Sic ille:

τῆλ' ἀπε]νθὼν τεῖδε θωκήσῶ τε καὶ λεξοῦ[μ' ὅπως
ε]ἴμειν[3]) ταῦτα καὶ τοῖς δεξιωτέροι[ς δοκῆι
'τοῖς θεοῖς] ἐμὶν δοκεῖτε πάγχυ καὶ κατὰ τρόπ[ον
καὶ ἐοικό]τως ἐπεύξασθαι κτλ.

Sosianae narrationis initium hoc est (203):

Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
continuo Amphitruo delegit viros primorum principes,
eos legat, Telobois iubet sententiam ut dicant suam.

1) Leo, Pl. F.² 134.

2) Cf. Sudhaus Aufbau der plaut. Cant. p. 44 adn.

3) Kaibelii supplementum πιστά κ' ε]ἴμειν falsum esse docuit Jacobus Wackernagel, Über einige antike Anredeformen progr. acad. Gott. 1912, p. 30.

Hoc enuntiatum ita comparatum est, ut narrationum initia esse solent. Nam temporale enuntiatum unum certe semper praeponunt, praeferunt vero duo, uno pendente ab altero, quo modo hic factum videmus. Sed etiam apodoseos forma communis est. Solet enim constare ex compluribus verbis inconexis nec raro ad praesens tempus relatis. Eadem res fit, ubicumque nova orationis pars incipit, cf. e. g. versus 227 sqq., imprimis 232 sqq.

Pulcherrimum nuntii narrationis exemplum in ultimo actu fabulae praesto est. Qui qua ratione cum tragoedia cohaereat, alio huius opusculi loco exponam, hic tantum de narrationis forma agendum est.

Bromia Amphitruoni primum summam rei nuntiat (1085—88); hunc tragoediae morem esse scimus. Sequitur diverbium concitatum haud nimis longum, deinde ipsa narratio:

1091: postquam parturire hodie uxor occepit tua,
ubi utero exorti dolores, ut solent puerperae
invocat deos immortales, ut sibi auxilium ferant,
manibus puris, capite operto etc.

In hoc initium id quadrat, quod modo de Sosiae oratione diximus, cf. etiam 1114 sqq.; dictio saepe tragicam gravitatem appetit, cf. imprimis vss. 1094—6, 1121. Oratio exclamationibus stupore plenis interrumpitur, quas cum Carionis nuntio velim conferas.

In Curculione parasitus peregre rediens patrono nuntiat, quid in itinere assecutus sit. Hic quoque primum summam rei profert, atque id lepidissime:

„nihil attuli“ (327)

Phaedromus respondet, tum statim ipsa narratio incipit (329):

postquam tuo iussu profectus sum, perveni in Cariam,
video tuom sodalem, argenti rogo uti faciat copiam.

Animadverte apodoseos formam vss. 336 sqq. Longa

narratio a Phaedromo usque ad vs. 356 haud interrupta orationibus directis abundat.

Brevissimam nuntii narrationem quae tamen omnia huius generis signa prae se fert in Militis Gloriosi fine legimus. Hanc scaenam, ut iam quarti actus octavam, secundum exemplar Helenae Euripideae factam esse Leo demonstravit (Pl. F^2. 166). Illic rex de Helenae, hic miles de Philocomasii fuga a servo certior fit. Servus primum id refert, in quo cardo doli versabatur, scilicet nautam amatorem Philocomasii fuisse. Ipsa narratio nihil nisi haec verba continet (1432):

> nam postquam porta exierunt, nil cessarunt ilico
> osculari atque amplexari inter se.

Cave tamen, ne ex tanta brevitate, cum Helenae narratio longior sit, conicias Plautum hoc loco exemplaris orationem corripuisse. Nam ut tragoediam decet primum latius referre, quomodo dolus perfectus sit, tum vero in longam pacificamque solutionem exire, ita omnibus aetatibus comoediae proprium fuit, rebus bene perpetratis quam celerrime ad finem currere, ὡς τὸ ταχύνειν χαρίτων μετέχει πλεῖστον παρὰ τοῖσι θεαταῖς.

Stichi Pinacium ipse tragici nuntii pompa gloriatur (274):

> Mercurius, Iovis qui nuntius perhibetur, numquam aeque patri
> suo nuntium lepidum attulit quam ego nunc meae erae nuntiabo.

305: contundam facta Talthubi contemnamque omnis nuntios.

Magnificis praeparationibus factis postremo dignatur rem narrare (364):

> Dicam. postquam me misisti ad portum cum luci simul,
> commodum radiosus sese sol superabat ex mari.

Sentire debemus, quam tragice hoc dictum sit, quam alienum sit a comici servuli solito sermone. De asyndetis, quae sunt in versibus sequentibus, vix iam necesse est verbum facere. Memorabilis est versus 370:

alius alium percontamur: quoiast navis? quid vehit?

nam etiam in tragicorum narrationibus oratione directa „saepius verba afferuntur quae ad rem ipsam narrandam non multum pertinent" (E. Henning, de tragicorum Atticorum narrationibus, diss. Gott. 1910, p. 37), scilicet ut vivida fiat oratio.

Similiter atque in Sticho etiam in altera Menandri fabula servus e portu veniens domino adventum erilis filii nuntiat. Ex Nauclero enim hi versus servati sunt (Ath. XI 474c = frg. 348K):

ἥκει λιπὼν Αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος
Θεόφιλος ἡμῖν, ὦ Στράτων. ὡς ἐς καλὸν
τὸν υἱὸν εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον
πρῶτος λέγω σοι τόν τε χρυσοῦν κάνθαρον.
ΣΤΡ. ποῖον; τὸ πλοῖον; ⟨Α. οὐδὲν οἶσθας, ἄθλιε.⟩
ΣΤΡ. τὴν ναῦν σεσῶσθαί μοι λέγεις; Α. ἔγωγε μὴν κτλ.

Quid opus est de tragico colore huius nuntii loqui, cum primus versus ex Euripidis Troadibus sumptus sit. Hic quoque solitus ordo servatus est: quattuor versibus nuntius summam rei complectitur, sequitur breve diverbium, deinde servum longiore oratione narravisse, quo pacto erilis filii navem invenerit, (cf. Stichum) verisimile est. Quamquam haud paucae inveniuntur scaenae, in quibus servus currens nuntii vice ita fungitur, ut primum solus de rei gravitate verba faciat, deinde longo diverbio eius, cui nuntium allaturus est, animum excruciet, postremo tribus verbis rem eloquatur, nulla narratione adiecta, velut Mercat. I, 2 Most. II, 1 Adelph. III 2, Phorm. I, 4.

Contra in Heauton Timorumeno (II 3) pulchram atque diligenter fictam narrationem legimus quaeque nulla re a solita forma differt. Syrus servus a Clinia in urbem missus est, ut illius animum de amicae amore confirmaret (vs. 191). Iure igitur „nuntius“ in ipsa fabula vocatur (176). Qui postquam ad erum venit, breve diverbium inter eos oritur. Servus praemittit id quod comperire Cliniae maxime interest (269):

hoc primum, ut nequid huius rerum ignores: anus,
quae est dicta mater esse ei antehac, non fuit.
ea obiit mortem. hoc ipsa in itinere alterae dum
narrat, forte audivi.

(Cf. Amph. 1088: omnium primum: Alcumena geminos peperit filios).

Priusquam pergere possit, servus a Clitiphonte interrumpitur interrogante: Quaenam est altera? Sed responsum in posterius differtur: Mane, hoc quod coepi, primum enarrem, Clitipho, post istuc veniam.

Plane eodem modo in Iphigenia Taurica nuntius ad narrandum paratus, cum regis interrogatione interruptus sit, nunc quidem respondere recusat:

1311 ΘΟ. τί προσδοκῶσαι κέρδος ἢ θηρώμεναι;
ΑΓΓ. αὖθις τὰ τῶνδε σημανῶ. τὰ δ' ἐν ποσὶ
παρόντ' ἄκουσον.

Deinde nuntius denuo narrare iussus („propera“, 274; „loquere“ Amph. 1091) ad ipsam relationem venit:

ubi ventum ad aedis est, Dromo pultat fores.
anus quaedam prodit. Haec ubi aperit ostium,
continuo hic se intro conicit, ego consequor,
anus foribus obdit pessulum, ad lanam redit.

De enuntiati forma conferri potest quod supra de hac re diximus. Similiter atque in Heautontimorumeno etiam in Phormionis quinti actus scaena sexta servus ero bonum nuntium affert. Longa eius narratio (inde a

versu 861) orationibus directis facete instructa est. Aliter res comparata est in Periciromena (inde a vs. 128), ubi nuntius modestiore modo inducitur totaque scaena maiorem simplicitatem habet.

In nuntiorum potissimum orationibus poetae scaenici epicam, ut ita dicamus, narrandi artem didicerant atque excoluerant. Cum vero etiam aliis fabularum locis latius narrandum esset, quid mirum quod usitatas et commodas nuntiorum narrationum formas eo transferebant in novumque usum commutabant? Saepe tamen etiam tum traditae formae recognosci possunt. Segregari vero debent huiusmodi narrationes a nuntiorum orationibus. Nam pars sunt alicuius colloquii, cum nuntii nulla de causa in scaenam ingrediantur, quam ut mandata expleant referantque de iis quae cognoverunt. Praeterea nuntiorum officio apud Plautum ac Terentium similiterque in tragoedia Attica atque apud Aristophanem tantum vilioris condicionis homines, i. e. servi parasiti similesque, funguntur, has vero narrationes, de quibus nunc nobis agendum est, quaelibet personae habere possunt. Huiusmodi narrationes etiam a tragicis poetis factas esse et, si rem spectas, verisimile est et testimoniis confirmari potest.

E fabula quadam Euripidea hoc fragmentum superest (Hibeh—pap. I p. 22):

— οὐ μανθάνω σου τ[ὸ]ν λόγο[ν
— ἀλλ' ὡς συνήσεις ῥᾳδίως, ἐγὼ φ[ράσω.
ἐπεὶ γὰρ ἦλ[θον.

Una igitur persona cum altera collocuta summam rei breviter significavit, cum vero id non satis intellegi videat, nunc longiore narratione totam rem secundum temporis ordinem explicare instituit. Hanc narrationem plane eodem modo incipit atque nuntii solent.

Luculentius etiam alterum exemplum est, quia in eo antecedentis quoque colloquii partes servatae sunt. Apud Ennium enim in Hectoris Lutris (scaen. 161 sqq. Vahlen)

Eurypylus saucius in Patrocli tentorium portatur. Auxilium ab eo petit, de vulneribus queritur, varia loquitur, tum vero ab illo iussus:

169: eloquere eloquere res Argivum proelio ut se sustinet respondet:

non potis ecfari tantum dictis, quantum factis suppetit laboris.
ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam ⟨dedit⟩.

Longiorem deinde secutam esse narrationem ex Ciceronis qui hos versus laudat verbis apparet.

Optimum huius generis exemplum praebet Mostellariae ea scaena, in qua Tranio pulchra narratiuncula seni os sublinit. Primum servus totam rem tribus verbis complectitur[1]):

475: capitale scelus est
deinde:

scelus, inquam, factum est iam diu, antiquom et vetus.

Sequitur sollicitum diverbium (haud breve, nam Tranioni tempore opus est, ut efficax mendacium inveniat). Tandem servus narrare incipit:

484: ego dicam, ausculta. ut foris cenaverat
tuos gnatus, postquam rediit a cena domum,
abimus omnes cubitum, condormivimus etc.

De duobus enuntiatis temporalibus quibus narratio incipit vide ea, quae ad Amphitruonem dixi. Totius narrationis columen est magna mortui oratio directa, quae non sine quadam gravitate incedit.

Eadem forma adhibita est in Andriae prologo. Simo, ut Sosiae consilia sua aperiat, primum id dicit, in quo cardo rei versatur:

---

1) Hic in ea dispositione tanto maior venustas est, quod Tranio hoc ipso momento dolos suos consuit atque, dum summam facti adumbrat, nondum scit, quomodo singulas res conficturus sit.

46: hoc primum in hac re praedico tibi:
quas credis esse has, non sunt verae nuptiae.

Recordamur Heautontimorumeni loci, de quo supra egimus. Ibi enim haec verba leguntur:

269 sq.: hoc primum, ut nequid huius rerum ignores:
quae est dicta mater esse ei antehac, non fuit.

Tum Simo, a Sosia interrogatus:

quor simulas igitur?

respondet:

rem omnem a principio audias.

Hoc modo nuntii narrationes inducere solent: λέξω δ' ἀπ' ἀρχῆς Iph. A. 1541; cf. Soph. Tr. 749.
Ar. Plut. 649:

ἄκουε τοίνυν, ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα
ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ,

ubi metaphoram ea de causa poeta sumpsit, ut haberet, quo sequentes argutias adnecteret.

Tum ipsa narratio his verbis incipit:

nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
sibi ut[1]) vivendi fuit potestas etc.

Sequitur perlonga Simonis oratio, tantum hic illic Sosiae acclamationibus interrupta. Neque desunt breves orationes directae, quales in nuntiorum narrationibus esse solent:

82: egomet continuo mecum „certe captus est: habet"
vel 84: rogitabam „heus puer,
dic sodes, quis heri Chrysidem habuit?"
cf. vs. 88, 134 etc.

Eundem stilum, eandem sententiarum structuram in aliis narrationibus invenimus, velut in Heautontimorumeno inde a vs. 96 (cf. imprimis vss. 121—127). De huius

1) „liberius" libri, correxit Leo.

narrationis initio pauca dicere fortasse non inutile erit. Admodum simpliciter sic exorditur:

est e Corintho hic advena anus paupercula:
eius filiam ille amare coepit virginem.

Antiquissimum hunc incipiendi modum (cf. Plauti Trin. 12) iam in priscis Indorum narrationibus[1]) frequentem Homerus haud raro usurpat cum de personis tum de locis agens (e. g. Z 152:

ἔστι πόλις Ἐφύρη μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο
ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν.

Λ 711: ἔστι δέ τις Θρυόεσσα πόλις
. . . τὴν ἀμφεστρατόωντο

ibidem 722: ἔστι δέ τις ποταμὸς Μινυήιος . . .
ἔνθεν ἱκόμεσθα

cf. N 32, η 244, ν 96 alia).

Hanc figuram et omnes sequiorum temporum epici poetae ex Homero receperunt[2]) et ii libenter usurpaverunt, qui epicum stilum irridere studebant[3]); tragici vero in

---

1) Permulta exempla, quae H. Lommelius amicus in meam gratiam collegit, exscribere supersedeo.

2) E. g. Apoll. Rh. I 936:

ἔστι δέ τις αἰπεῖα Προποντίδος ἔνδοθι νῆσος etc.;

tum demum 953: ἔνθ' Ἀργὼ προὔτυψεν
(cf. sollemne narrationis exordium Plat. Tim. 21 e).
Nonn. Dion. 41, 14 sqq.
Verg. Aen. II 21: Est in conspectu Tenedos etc.
23: huc se . . . condunt
cf. Georg. IV 387 alia.
Ovid. metamm. I 168: Est via sublimis etc.
170: hac iter est superis
II 195 etc.

3) Hermippus in Phormophoris (Ath. I 29 c = I 249 K):

ἔστι δέ τις οἶνος, τὸν δὴ σαπρίαν καλέουσιν κτλ.

Eupolis in Urbibus (I 235 K):

ἔστι δέ τις θήλεια Φιλόξενος ἐκ Διομείων

cf. Ar. av. 1473 sqq., imprimis vero 1482 (ἔστι χώρα τις ἔνθα) 1553 (λίμνη τις ἔστιν — οὗ . . . ἔνθα), 1694.

iis fabularum partibus, in quibus potissimum Homeri exemplar sequebantur, scilicet in nuntiorum narrationibus, hoc quoque transeundi modo haud semel usi sunt in locis describendis [1]), e. g. Aesch. Pers. 447 sqq. (νῆσός τις ἔστι, . . . ἐνταῦθα) Prom. 846 (huic orationi omnino cum nuntiorum narrationibus multa communia sunt), Soph. Trach. 752, frg. 234. Eur. Hipp. 1199, Andr. 733, Suppl. 1197, Iph. T. 262, El. 1258, Bacch. 1051.

Inde formula in comoediae narrationes recepta est. Comico vero usui cum epico atque tragico usu hoc commune est, semper incisione quadam facta de nova re narrari incipi verbis ἔστι τις. Huc pertinet Menandri fragmentum incertum 842 K:

Πόλη τις ἔστι Ταινάρου πρὸς ἐσχάτοις.

In Heautontimorumeno Menedemus sic narrare incipit:

902: *est* mihi ultumis conclave in aedibus *quoddam* retro:
huc est intro latus lectus etc.

Vel in Phormione Geta ad novam narrationis partem his verbis transit:

88: in quo haec discebat ludo, exadvorsum ei loco
tonstrina erat quaedam: hic solebamus fere
plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.

Hic quidem demonstrare, id quod tam raro fieri posse dolemus, nobis licet et rem et sententiae formam non ab Apollodoro inventum, sed huius poeseos τόπον esse. Nam apud Athenaeum (XI 473 e) hoc Eubuli fragmentum legimus (= II 192 K):

ἐγὼ δέ, καὶ γὰρ ἔτυχεν ὂν καταντικρὺ
τῆς οἰκίας καινὸν καπηλεῖον μέγα,
ἐνταῦθ᾽ ἐπετήρουν τὴν τροφὸν τῆς παρθένου κτλ.

---

1) Cf. Jebbium ad Soph. Trach. 752.

Sed redeamus ad conspectum earum narrationum de quibus antea egimus.

In Phormione (IV 3) Getae narratio ita comparata est, ut nuntiorum esse solent. Primum dicit (615) „inveni remedium huic rei", tum longa narratione, non sine multis orationibus directis, rem recto ordine enarrat:

> Ut abii abs te, fit forte obviam
> mihi Phormio.

Iam de tertio narrationum genere agendum est. Nam cum fabularum personae non aliis tantum personis in scaena praesentibus de rebus factis vel nuntiorum loco referrent vel simpliciter narrarent, sed saepe etiam soliloquiis spectatoribus id explanarent, quod illos scire poeta volebat, fieri non potuit, quin in hoc quoque genus nuntiorum narrationum conformatio sese insinuaret. Ac profecto non multum interest — nisi quod soli loquentes interrumpi nequeunt — utrum alicui fabulae personae an spectatoribus res narrentur. Haec vero soliloquia secundum nuntiorum narrationes facta (scilicet, si primam originem spectas, ad quam tamen poetas recta via recurrisse vix credam, cum illa narrationum compositio iam latius pateret) facile inde agnosci possunt, quod primum paucis versibus — fere quattuor — de capite rerum refertur, deinde enuntiato temporali (ἐπεὶ γάρ . ., ὡς γάρ, nam postquam, nam ut, simm.) ad factorum initium reditur diligenterque omnia secundum temporum ordinem large narrantur.

Huius generis est primum Demeae in Menandri Samia soliloquium[1] (1 sqq.). In primis versibus, quorum nunc initia sola supersunt, generalis quaedam sententia erat (e. g.: quisquis aetate iam provectus iuvenem uxorem ducit, aut insanit aut summo malo dignus est, nanctus sibi cum brevi bono longissimum infortunium), ubi tamen

1) Quae oratio dramatis prologus certe non est.

subaudiebatur: paelex mea me decepit. Cuius sententiae ratio statim narratione datur:

ὡς γὰρ τάχιστ' εἰσῆλθον κτλ.

Haec narratio multas aliarum personarum orationes continet per hypocrisin ab histrione recitandas.

In Periciromena Moschio (inde a vs. 277) primum sollicito animo revera secum loquitur, mox vero ad spectatores versus (inde a vs. 282) simpliciter narrat [1]. Sic fere incipit: omnium qui nunc sunt homines, ego longe miserrimus sum: ὡς γὰρ τάχιστ' εἰσῆλθον κτλ.; sequitur accurata narratio. Inde a vs. 297 suam ipsius orationem directam profert.

Huc pertinet pulcherrimum perditae comoediae soliloquium, quod totum nobis servatum esse valde gaudemus. In Stratonis Phoenicida senex, qui antea una cum coquo domum intraverat, his verbis in scaenam redit (Ath. IX 382 b = III 361 K) (= Philemo ap. Ath. XIV 659 b = II 517 K):

σφίγγ' ἄρρεν', οὐ μάγειρον εἰς τὴν οἰκίαν
εἴληφ'. ἁπλῶς γὰρ οὐδὲ ἓν μὰ τοὺς θεοὺς
ὅσ' ἂν λέγῃ, συνίημι· καινὰ ῥήματα [2])
πεπορισμένος πάρεστιν.

Postquam hoc modo summam rei cum spectatoribus communicavit, narrare incipit:

ὡς εἰσῆλθε γάρ,
εὐθύς μ' ἐπηρώτησε προσβλέψας μέγα
'πόσους κέκληκας μέροπας ἐπὶ δεῖπνον; λέγε.'

Tum perlonga ac sane faceta narratione totam argutiarum copiam profert, quas cocus Homericus ei inter patinas exhibuit.

Plauti Strobilus (Aul. IV 8) solus in scaenam ingressus primis quattuor versibus (701—4) annuntiat sese

---

1) Cf. Leo, Monolog. p. 84.

2) De re cf. Leonis adnotationem ad Pseudol. 831.

hodie omnium hominum divitissimum factum esse (cf. supra de Periciromena), tum pergit:

nam ut dudum hinc abii, multo illi adveni prior etc.

notes velim praesentia asyndeta vs. 701 sq.

Idem schema Ergasili soliloquium (Capt. III 1) ostendit. Quamquam hic, ut scurrilem hominem decet, latius quam solent de sorte sua queritur, priusquam se ad narrationem vertit. Versus 461—477 nihil continent quam: mihi hodie esuriendum est, cum nemo me invitaverit.

478: nam uti dudum hinc abii, accessi ad adulescentes in foro.
„salvete“ inquam. „quo imus una“ inquam „ad prandium?“ atque illi tacent.

Sequitur longa narratio, brevibus orationibus directis ornata. Propter stilum animadverte imprimis vss. 487 sq.

Non diversa compositio est alterius eiusdem fabulae soliloquii (V. 4); sic enim Tyndarus: ego pessima quae excogitari possunt cruciamenta perpessus sum (quattuor versus):

1002: nam ubi illo adveni etc.

sed narratio statim abrumpitur.

Ut iam in Periciromenae scaena (276 sq.) vidimus, ita etiam Olympio in Casina (V. 2) a sollicito soliloquio (875—77; perterritus e domo erumpit ut Phryx Euripideus vel Bromia in Amphitruone) ad tranquillam narrationem transit. Interrumpit cogitationes suas et spectatores alloquitur:

879: operam date, dum mea facta itero: est operae pretium auribus accipere.

Paene iisdem verbis in Andria Davos utitur spectatoribus de amantium dolo narraturus:

audireque eorumst operae pretium audaciam

et iam apud Aristophanem (Equ. 624) magna allantopolae narratio sic inducitur:

καὶ μὴν ἀκοῦσαί γ' ἄξιον τῶν πραγμάτων.

Tum ipsa narratio sequitur:

ubi intro hanc novam nuptam deduxi, recta via in conclave abduxi.
sed tenebrae ibi erant tamquam in puteo; dum senex abest „decumbe“ inquam,
conloco fulcio mollio blandior etc.

Vix iam opus est de asyndetis verbum facere. Hic conferri potest Pomponii fragmentum (170 sq. R).

In Rudente (IV 2) Gripus cantico narrat se optimum piscatum fecisse (906—13), tum pergit:

nam ut de nocte multa impigreque esurrexi etc.

Post hoc initium ego quidem libenter credam apud Diphilum accurate narratum fuisse, quomodo piscator vidulum invenerit; in cuius narrationis locum Plautus generales sententias cantico aptiores substituisse videtur[1]).

In Terenti Eunucho (IV 1) Doriae ancillae soliloquium sic exorditur:

Ita me di ament, quantum ego illum vidi, non nil timeo misera,
ne quam ille hodie insanus turbam faciat aut vim Thaidi.

Deinde statim redit ad narrandum initium earum rerum quae domi acciderunt:

617: nam postquam iste advenit Chremes adulescens, frater virginis,
militem rogat ut eum admitti iubeat etc.

---

1) Idem in Chrysali cantico (Bacch. IV 4) factum esse veri simile est. Ubi Plautum pro explicatione, quidnam esset duplex illud facinus (nam servus de uno solo loquitur) generales cogitationes (inde a vs. 649) supposuisse vel potius eas amplificavisse facile credideris.

In narratione admodum brevi duae directae orationes sunt.

In Hecyra (III 3) Pamphilus primum ne unum quidem factum enuntiat sed tantum ait se magis sollicitum esse, quam ut loqui possit. Itaque e primis quattuor versibus nihil comperimus nisi aliquid magni intus factum esse. Sed iam animum colligit atque incipit, ut solent:

365: nam modo intro ut me corripui timidus, alio suspicans
morbo me visuram adfectam ac sensi esse uxorem, ei mihi,
postquam me aspexere ancillae, advenisse ilico omnes simul
laetae exclamant etc.

De duobus enuntiatis temporalibus, quorum unum alteri iniectum est, iam supra dictum est.

Animadverte versum 376:

postquam aspexi „oh facinus indignum“ inquam

quamvis exigua exclamatio tamen ipsis verbis redditur.

Agmen claudat Adelphorum scaena (IV 4). Aeschinus summam rem praemittit:

615: Sostrata
credit mihi me psaltriam hanc emisse: id anus mi indicium fecit.

Deinde narrat, quomodo hoc comperierit:

nam ut hinc forte ea ad obstetricem erat missa, ubi eam vidi, ilico
accedo rogo, Pamphila quid agat, iam partus adsiet,
eone obstetricem arcessat, illa exclamat „abi etc.“

Satis habeo haec exscripsisse nullo addito verbo de iis harum orationum signis, quae ubique invenimus.

Iam tot exemplis congestis lucide apparuisse opinor, quae ratio inter haec soliloquia tragicasque nuntiorum

narrationes intercedat; scilicet, ut fieri solet, hic quoque eadem necessitas idem remedium procreavit. Scaenicae enim artis angustiae, per quas variorum locorum copia fabulis non dabatur, poetas in summum discrimen agebant, ubicumque dramatis argumentum latius patebat. Itaque tragici externas res narrationum auxilio spectatoribus communicaverant. Novae autem comoediae poetis multo maior difficultas superanda erat. Nam non solum multae res locis a conspectu amotis agebantur (velut in alto mari, cf. Gripi soliloquium de quo modo egimus), sed etiam ex iis, quae uno eodemque loco versabantur, multa — atque ea saepe gravissima — non ante aedes, sed intus fiebant. Quam libenter poetae haec quoque spectatoribus ostendissent, modo eis licuisset[1]). Velut Stratonis certamen inter rudem senem atque coquum grammaticum actum quanto maiorem vim haberet, si ante spectatorum oculos dimicaretur! Ut vero aliquo modo spectatorum animus in domos penetrare posset, comici tragoediae exemplum secuti nuntios in scaenam miserunt, qui de rebus intus factis quam vividissime possent narrarent. Huic potissimum fini hanc soliloquii formam servire Menandri Stratonis Romanarumque fabularum exempla satis docuisse puto.

II.

Studiis virorum doctorum, qui in novae comoediae ratione atque origine pervestiganda operam sagaciter navaverunt, id effectum est, ut hodie paene iam pueris decantatum sit, ex quinti saeculi tragoedia, Euripidea imprimis, in mediam novamque comoediam non modo varia

1) Cf. Leo, Monolog. 39, [1]).

fabularum argumenta (velut stuprum in virginem nobilem commissum, infantes in desertis locis expositi atque post longum temporis spatium a parentibus recogniti, mulier ab amico mutata veste induto e custodis manibus dolose erepta, multaque alia, quae huius generis sunt[1]), sed etiam singulas sententias atque haud paucas orationis formas defluxisse. De hac igitur re universe ac generatim loqui inane esset. Verum tamen non inutile erit simili ratione atque superiore capite nuntiorum narrationes perlustravimus nunc minora quaedam inventa scaenica certasque orationum formas earumque mutationes, quantum fieri potest, persequi, ut magis magisque cognoscatur comoediae artem sane genuinam et magnis a Musis praeditam dotibus tamen, ut solet accidere iunioribus hominum filiabus, nunquam desiisse maioris natae sororis vestibus paululum mutatis atque in novum usum reparatis amiciri.

Incipiamus a re exigua quidem, sed quae formarum originem atque progressum haud male illustrat. Notum est Euripidem cui praeter ceteros tragicos amare alterna Camenae videbantur, stichomythia non modo usum esse, ubi duae personae inter se concertarent vel una alteram de compluribus rebus interrogaret, sed etiam in simplicis narrationis loco alternum sermonem posuisse (cf. e. g. Phoen. 389 sqq., imprimis inde a versu 408). Quod ut fieri posset, fictione saltem interrogationis semper iteratae opus erat. Verum colloquium, in quo una usque persona interrogat, altera respondet, facile auditori in taedium venire manifestum est. Magno igitur emolumento esse debet, si quo modo fieri potest, ut narrans quoque persona interdum interroget. Hoc in exordio saltem stichomythiae fieri Euripides saepe voluit. Qua in re certum sibi modum — sane e cottidiani sermonis consuetudine

1) Cf. nunc ea, quae Satyrus in vita Euripidis enumerat (Ox. Pap. IX 1176, XXXIX 7), atque Leonis commentationem N. G. G. 1912, p. 281.

mutuatus — formavit ac sensim quasi indurescentem retinuit. Sic Dionysus a Pentheo de genere suo narrare iussus haec dicit (Bacch. 461):

οὐ κόμπος οὐδείς· ῥᾴδιον δ' εἰπεῖν τόδε.
τὸν ἀνθεμώδη Τμῶλον οἶσθα που κλύων;
ΠΕ. οἶδ', ὃς τὸ Σάρδεων ἄστυ περιβάλλει κύκλῳ.
ΔΙ. ἐντεῦθέν εἰμι, Λυδία δέ μοι πατρίς.
ΠΕ. πόθεν δὲ τελετὰς τάσδ' ἄγεις ἐς Ἑλλάδα;

sequitur longa stichomythia. Item Creusa in Ione de prioribus fatis interrogata:

936 ἄκουε τοίνυν· οἶσθα Κεκροπίας πέτρας
πρόσβορρον ἄντρον, ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν;
ΠΡ. οἶδ', ἔνθα Πανὸς ἄδυτα καὶ βωμοὶ πέλας.
ΚΡ. ἐνταῦθ' ἀγῶνα δεινὸν ἠγωνίσμεθα.

sequitur longa stichomythia. Cf. praeterea Eurip. Suppl. 116, Ion. 988, Iph. T. 517, 812, Or. 1181 [1]). Omnibus his locis stichomythia per totam narrationem ubique satis amplam continuatur, exceptis solis Orestae versibus. Ibi enim (1183 sqq.) Electra stichomythia iam post octo versus relicta consilium suum continua oratione explanat. Hoc uno igitur loco poeta vincula nimis molesta rupit. Ex iisdem versibus bene intellegi potest, quam inanis formula iam facta sit e solita illa exordii interrogatione. Sic enim Electra quaerit:

Ἑλένης κάτοισθα θυγατέρ'; εἰδότ' ἠρόμην.
ΟΡ. οἶδ', ἣν ἔθρεψεν Ἑρμιόνην μήτηρ ἐμή.
ΗΛ. αὕτη βέβηκε κτλ.

---

1) Res aliter comparata est in κομμοῖς Eur. Heraclid. 86 ac Soph. O. C. 215, ubi verae interrogationi ἐν ἤθει vere respondetur. — Diversi sunt etiam versus Iph. Aul. 867 sqq.; huiusmodi orationem rursus invenimus in Antiphanis Προγόνοις (Ath. VI 238 d = II 94 K) ubi clausula orationis clare ostendit poetam tragoediae exemplum sequi: τῶν φίλων γὰρ ὢν φίλος | ἔργοισι χρηστός, οὐ λόγοις ἔφυν μόνον. Cf. Plaut. Aul. 214, Pseud. 109.

Hanc quoque figuram cum tot aliis Euripidei stili ornamentis Sophocles recepit in eam fabulam, cuius exteriorem formam paene totam ab aemulo mutuatus esse videtur. In Trachiniis enim legimus:

1191 ΗΡ. οἶσθ' οὖν τὸν Οἴτης Ζηνὸς ὕψιστον πάγον;
ΥΛ. οἶδ', ὡς θυτήρ γε πολλὰ δὴ σταθεὶς ἄνω.
ΗΡ. ἐνταῦθά νυν χρὴ τοὐμὸν ἐξάραντά σε σῶμα κτλ.

sequitur longior Herculis ῥῆσις atque paullo post 1219:

ΗΡ. τὴν Εὐρυτείαν οἶσθα δῆτα παρθένον;
ΥΛ. Ἰόλην ἔλεξας, ὥς γ' ἐπεικάζειν ἐμέ.
ΗΡ. ἔγνως. τοσοῦτον δή σ' ἐπισκήπτω, τέκνον κτλ.

hic quoque continua Herculis oratio sequitur. Operae pretium est animadvertere Sophoclem deprompsisse quidem ab Euripide istam formulam (nam etiam apud Sophoclem interrogatio genuinam vim iam prorsus perdidit, cum Hyllus de rebus interrogatur, quas ei notas esse Hercules haud nescit) sed, cum stichomythiae multo minus amans esset, statim deflexisse in continuae orationis viam.

Sed etiam comici poetae illud tam commodum narrationis initium sibi adoptaverunt. Subesse vero exemplum Euripideum inde apparet, quod si minus stichomythia, at certe alterni sermonis vestigia apud eos quoque restiterunt. Sic in Anaxandridis Γεροντομανίᾳ aliqua persona narrationem his verbis incipit (Ath. XIII 570 e = II 139 K):

A. τὴν ἐκ Κορίνθου Λαΐδ' οἶσθα; B. πῶς γὰρ οὔ;
τὴν ἡμετέρειόν ⟨γ'⟩. A. ἦν ἐκείνῃ τις φίλη
Ἄντεια. B. καὶ τοῦθ' ἡμέτερον ἦν παίγνιον.
A. νὴ τὸν Δί', ἤνθει τότε Λαγίσκ', ἤνθει τότε
καὶ Θεολύτη κτλ.

sequitur continua alterius personae narratio. (ad primum versum cf. e. g. Bacch. versum supra laudatum: τὸν ἀνθεμώδη Τμῶλον οἶσθα).

Hanc formam in comoedia late patere Terentius docet, qui etiam in tam minutis rebus Atticarum fabularum dictionem fideliter secutus est. Apud hunc quoque illa formula ambarum personarum dialogum (ubi una interrogat, altera respondet) inducit, tum narratio sequitur; e. g. Phorm. 62:

GE. ergo ausculta[1]). DA hanc operam tibi dico
G. senis nostri, Dave, fratrem maiorem Chremem
nostin? DA quid ni[2])? GE quid? eius gnatum Phaedriam?
DA. tam quam te. GE. evenit senibus ambobus simul
iter illi in Lemnum ut esset etc.

sequitur narratio. Vel ante Chaereae longam narrationem (Eun. 327):

CH. patris cognatum atque aequalem Archidemidem
novistin? PAR quid ni[2])? CH. is, dum hanc sequor, fit mi obviam
PAR incommode hercle. CH. immo enim vero infeliciter.

sequitur narratio.
Plane eiusdem generis sunt Heautont. 180 sqq. Eunuch. 562 sqq. Adelph. 465 sqq. 572 sqq.

Quisquis rationem inter Plautum ac Terentium intercedentem bene cognovit, haut miretur illud exemplarium Atticorum schema, de quo agimus, saepius apud Terentium inveniri. Tamen a poetae Sarsinatis fabulis minime alienum est. Velut in Aulularia legimus (170):

EUN. dic mihi, quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem? MEG eloquar.

---

1) Cf. Ion. 987 ἄκουε τοίνυν. Or. 1181 ἄκουε δήνυν, tum illa interrogatio οἶσθα; κτλ.

2) cf. Anaxandridis locum supra exscriptum πῶς γὰρ οὔ:

nostin hunc senem Euclionem ex proximo pauperculum? EUN. novi, hominem haud malum mecastor. MEG eius cupio filiam
virginem mihi desponderi

vel Trucul. 726:

AST eloquar, sed tu taceto. Nostin tu hunc Strabacem? DIN quidni[1])?
AST solus summam nunc habet hic apud nos, nunc is est fundus nobis.

Vel eiusdem fabulae vs. 405:

Quid multa verba faciam? tonstrinam Suram
novisti nostram etc.
DIN novi PHRON haec ut opera circumit, per familias,
puerum vestigat; etc.

Praeterea conferas velim Asin. 332 et Pseudol. 1089, ubi introductio narrationis ac tota structura enuntiatorum plane eadem est, res eo paullo diversa, quod et Leonida et Ballio alteri personae revera aliquid in memoriam revocant ideoque quaerunt „meministine?" Sed hoc quoque eo consilio fit, ut pro unius personae narratione duarum alternum sermonem audiamus.

Quoniam hic certam tragicarum ac comicarum orationum formam contulimus, ἐν παρεκβάσει minutam rem tangere volumus, quae eodem pertinet. In Orestae argumento dicitur: τὸ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστροφήν. Hoc quam vere de ipsa actione dictum sit, in propatulo est. Sed pertinet etiam ad sermonem. Phrygis imprimis persona nescio quid scurrile et comicum prae se fert. Nam quemlibet Parmenonem vel Syrum deceret procla-

1) Cf. exempla Terentiana supra exscripta.

mare (1509):

πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσιν.

Figura vero sermonis proprie comica utitur vs. 1525 sq:

ΦΡ οὐκ ἄρα κτενεῖς με; ΟΡ ἀφεῖσαι ΦΡ καλὸν ἔπος λέγεις τόδε.
ΟΡ ἀλλὰ μεταβουλευσόμεσθα ΦΡ τοῦτο δ' οὐ καλῶς λέγεις.

Atque Orestes ipse, qui omnino in hac parte parum serius videtur esse, eundem in modum ludit 1608 sq.

ΜΕ ἄπαιρε θυγατρὸς φάσγανον. ΟΡ ψευδὴς ἔφυς.
ΜΕ ἀλλὰ κτενεῖς μου θυγατέρα; ΟΡ. οὐ ψευδὴς ἔτ' εἶ.

cf. Plauti Men. 623:

MEN certe familiarium aliquoi irata es. MAT Nugas agis
MEN num mihi es irata saltem? MAT Nunc tu non nugas agis
MEN non edepol deliqui quicquam. MAT. em rursum nunc nugas agis.

cf. Merc. 300, Most. 977 sq.

Iam vero his nugis relictis ad graviores res transeamus.

Apud poetas tragicos si vel chorus vel histrio personam in scaenam prodeuntem „nuntiatione" indicat[1]), dicere solet se hunc vel illum advenientem videre. Apud Euripidem „nuntiatio in constantem iam abiit formulam, quae a vocibus καὶ μὴν incipere solet" (Graeber p. 29). Haec formula iam florente Euripidea tragoedia a comicis recepta est, cf. Acharn. 1069, Equit. 691[2]) Lys.

1) Cf. quae hac de re diligenter exposuit Paulus Graeber, de poet. Att. arte scaenica, diss. Gott. 1911 p. 19 sqq.

2) Nescio an hic quoque consulto Aristophanes tragicam nuntiationem sumpserit, cum sequens stichomythia prorsus ad tragoediae exemplum ficta esse videatur.

1072, 1082, Plut. 332, 1038 (post stichomythiam paratragoedicam), ita tamen recepta, ut ubique tragoediae imitationem sentiri poeta voluisse videatur. Sed hoc sensim evanuit; postea etiam in comoediis personae similibus atque in tragoediis verbis adnuntiantur non affectata parodia; e. g. Men. Sam. 65:

ἀλλ' εἰς καλὸν γὰρ τοῦτον εἰσιόνθ' ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ' ἐκ τῆς [ἀγορᾶς.

Anaxippus in Fulmine (Ath. X 416 f.):

ὁρῶ γὰρ ἐκ παλαίστρας τῶν φίλων
προσιόντα τὸν Δάμιππον.

Sed hic annuntiandi modus non iam sufficiebat. Euripides qui per maximam aetatis partem satis habuerat omnes personas in scaenam ingredientes (si eas omnino annuntiabat) eo modo annuntiare, quo Aeschylus et Sophocles fecerant, ita nimirum, ut a choro vel histrione aspicerentur, priusquam in orchestrae circulum intrarent, in iis fabulis, quas senex scripsit, non semper sed hic illic distinctionem quandam fecit. Sentiebat enim naturae veritati parum respondere, quod personae domo progredientes aeque annuntiabantur atque a portu vel ex urbe advenientes. Hae enim revera a personis in orchestra praesentibus primum oculis conspiciuntur, illae non item. Nam si quis ex aedibus progreditur, primum foris crepitus auditur, tum ipse in conspectum venit. In Ione igitur chorus Xuthi adventum his verbis annuntiat:

515: ὡς δ' ἐπ' ἐξόδοισιν ὄντος, τῶνδ' ἀκούομεν πυλῶν
δοῦπον, ἐξιόντα τ' ἤδη δεσπότην ὁρᾶν πάρα.

in Helena regina Theonoam advenientem audit:

858: Μενέλαε, διαπεπράγμεθ'. ἐκβαίνει δόμων
ἡ θεσπιωιδὸς Θεονόη· κτυπεῖ δόμος
κλῄθρων λυθέντων.

Euripidis modum ille secutus est histrio, qui quarto ut videtur a. Chr. n. saeculo versus 1366 sqq. Euripidi inculcavit[1]:

ἀλλὰ κτυπεῖ γὰρ κλῇθρα βασιλείων δόμων,
σιγήσατ'. ἔξω γάρ τις ἐκβαίνει Φρυγῶν,
οὗ πευσόμεσθα τἀν δόμοις ὅπως ἔχει.

Sed Euripides, naturae infatigatus venator, hoc uno artificio minime contentus erat, sed varia temptavit, ut personarum in scaenam progressum vividiorem redderet. Sic semel — in ultima poetae fabula — non foris, sed calcei personae prodeuntis crepitus auditur: Bacch. 638:

ὡς δέ μοι δοκεῖ — ψοφεῖ γοῦν ἀρβύλη δόμων ἔσω —
ἐς προνώπι' αὐτίχ' ἥξει.

Aliquando etiam ubi persona non ex aedibus procedens, sed foris domui approprinquans annuntiatur, solito schemate relicto rem artificiosius ac verius comparavit. In Oresta Hermiona a busto Clytaemestrae ad regias aedes revertitur. Longe prius quam virgo conspici potest, chorus graduum eius sonitum audit:

1311: σιγᾶτε σιγᾶτ'. ᾐσθόμην κτύπου τινὸς
κέλευθον ἐσπεσόντος ἀμφὶ δώματα.

post octo demum versus ipsa in scaenam progreditur.

Sed maioris momenti id erat in artem scaenicam ab Euripide proprium modum inductum esse, quo progressus ex aedibus factus significaretur. Hunc modum a tragicis qui post Euripidem erant receptum esse e Romanarum tragoediarum reliquiis cognosci potest. Quae cum locis Euripideis optime congruunt; e. g. Pacuvius in Iliona scaenae finem fecerat verbis (214 R):

valvae sonunt.

---

1) Ad scholiastae verba cf. v. Wilamowitz, Einl. i. d. griech. Trag. (= Her.[1] I) 152 not. 63.

Similiter Accius (30 R):

sed valvae resonunt regiae

vel (470 R):

atque adeo valvas sonere sensi regias.

et Gracchus (1):

O grata cardo, regium egressum indicans

vel (2):

sonat impulsu („impulsa“ libri) regia cardo.

Hoc vero annuntiationis genus verius ac commodius erat, quam ut a comicis praetermitteretur. Sed quoniam his non cum magnifica quadam regia, sed cum privatis aedibus res erat, tragoediae formulam simpliciorem reddiderunt neque valvas reseratis claustris pandi sed forem crepare dicunt[1]. Iam Aristophanes hunc in modum novae scaenae initium annuntiavit. Ranarum brevis κομμός exit in haec Xanthiae verba:

604: δεῖν δ' ἔοικεν, ὡς ἀκούω
τῆς θύρας καὶ δὴ ψόφον.

Neque aliter Menander Epitr. 485:

ON ἀπόλωλα. τὴν θύραν πέπληχεν ἐξιών.

Pericir. 126:

ἀλλὰ τὴν θύραν ψοφεῖ τις ἐξιών.

Sam. 222:

ἀλλ' Ἄπολλον ἡ θύρα πάλιν ψοφεῖ.

cf. ibid. 324.

Hibeh—pap. I p. 30:

τί γὰρ πλέον τό[δ ἐ]ψόφηκεν ἡ θύρα;
ἐξέρχεταί τις.

1) Primus qui huius generis videtur esse comoediae locus, Ar. Equ. 1326 huc non pertinet, quia ἐκκυκλήματος emissio copiose, ut apud tragicos fieri solet (cf. Wilamowitzium ad Herculis vs. 1029) illustratur.

Men. frg. inc. 208 M:

ἀλλ' ἐψόφηκε τὴν θύραν τις ἐξιών.

Exscripsi haec exempla, ut appareret in fabulis Graecis scaenarum fines tam firmis formulis factos esse quam apud Plautum ac Terentium verbis „crepuit foris“ similibusve fieri notum est. Neque deest illud σίγα vel σιγᾶτε, quod apud Euripidem invenimus, cf. e. g. Plaut. Cas. 873, Men. 348, Poen. 741, Pseud. 129 etc.

Atque eadem quae inter Euripidis et Menandri verba est etiam inter Pacuvium ac Plautum ratio, nam in hac quoque re „nec comoedia cothurnis assurgit nec contra tragoedia socculo ingreditur.“

Ii quos supra contulimus comoediae cum tragoediae locis, ad singulas scaenarum particulas spectant. Haec frustula sane non contemnenda sunt, nam ut parasiti quidam comici nos quoque, si larga cena iam heri nobis absentibus consumpta est, hodie reliquiis contenti esse debemus. Cupimus autem semper ex plena copia haurire, i. e. cognoscere quem ad modum comici in magnis scaenis componendis tragoediam secuti sint. Id eos tum maxime fecisse verisimile est, cum argumentum quoque a tragicis receperant, in mythologicis scilicet comoediis. Quarum si complures exstarent, de comicae tragicaeque compositionis diversitate multa disceremus. Verum etiam nunc ea una huius generis fabula, quam tenemus, non nihil nos docet. Totus enim Amphitruonis exitus, ut tragicum sermonis colorem prae se fert (cf. e. g. 1092—6; 1121 sqq. simm.), sic examussim ad tragoediae exemplum dispositus est. Quae res ut cognoscatur, Euripideos quosdam exitus comparare iuvat. Et primum quidem Helenam inspiciamus. Cuius ultimo stasimo, quod Menelaum et Helenam in patriam revertentes cogitatione quasi comitatur, finito nuntius in scaenam ingreditur.

Qui ubi primum Theoclymenum regem vidit, breviter ei nuntiat, quid acciderit, scilicet Helenam fugisse. Deinde regi interroganti, quo modo id factum sit, respondet Menelaum eam surripuisse. Iterum roganti, quaenam navis illis praesto fuerit, iterum respondet nuntius. Sed iam rex omnia accurate percipiendi cupidus servo imperat, ut totam rem secum communicet. Nuntius statim narrationem orditur, solito incipiendi schemate usus, et longa atque continua oratione quae facta sunt explanat. Post huius orationis finem rex, quid sibi rebus ita ut modo audivit comparatis faciendum sit, ilico statuit iisque, qui adsunt, pronuntiat. Sequitur brevis altercatio regis cum choro (vel servo), quam, cum huius fabulae propria sit, nobis hic quidem neglegere licet. Nunc quoque rex in consilio suo perseverat, sed priusquam quicquam exsequi possit, in machina Dioscuri apparent eumque alloquuntur. Deinde longiore oratione et quae facta sunt ei explicant et ne propositum exsequatur imperant. Quibus postquam Theoclymenus claris verbis respondit se obsecuturum esse, fabula choro exeunte clauditur.

Simillimus est Iphigeniae Tauricae exitus. Ea tamen re ab Helenae fine differt (et simul propius ad Amphitruonem accedit) quod nuntius, qui post ultimum chori canticum in scaenam ingreditur, non statim ad eum pervenit, cui rem narraturus est. Postquam eum invenit, regi singula rogitanti plane eodem modo respondet — scilicet ut summam tantum rei enuntiet — quem in Helena cognovimus quemque omnino in nuntiorum partibus ab Euripide adhibitum esse videmus. Deinde a rege narrare iussus longam orationem habet nihil a solita forma diversam. Quam postquam finivit, rex, quid ad damnum sarciendum factum velit, edicit omnesque cives sese adiuvare iubet. Sed Minerva rem impedit regemque pergere vetans omnia patefacit. Tum Thoas deae se obtemperaturum esse pollicetur. Quae postquam Minerva

paucis verbis comprobavit, chori exitus tragoediae finem facit.

In Amphitruone quae nuntii partes agit (cf. Trachiniarum nutricem), Bromia ancilla summo pavore percussa ex aedibus erumpit et quarum rerum animus plenus est, eas vivo soliloquio quasi effundit. Certe hoc canticum legentibus in mentem venit Phrygis Euripidei, cuius oratio pedestrem sermonem deseruit ac monodiae formam sibi assumpsit[1]). Sed tum quoque, cum oratione non cantata (primum dialogice, deinde per longam ῥῆσιν) nuntius ad dominum referebat, antecedere poterat soliloquium, quo sui animi motum exprimebat, velut Eur. Bacch. 1025, ubi chorus plane neglegitur.

Bromia diu in scaena morata postremo Amphitruonem humi iacentem conspicit statimque adit. Postquam dominus et ancilla invicem sese recognoverunt, Bromia summam prodigii modo visi enarrat. Amphitruo autem cum plus eam scire sentiat, ut referat largius, imperat. Sequitur Bromiae narratio. De cuius narrationis forma alio loco egimus (cf. s. p. 39). Amphitruo postquam omnia audivit (1124 sqq.), et Bromiae aliquid praecipit et quid ipse facturus sit edicit (cf. Iphigeniam). Sed iam cum magnifico tonitru Iuppiter in machina apparet, Amphitruonem id quod facturus erat (vs. 1128) exsequi vetat („hariolos haruspices mitte omnes“); ipse totam rem patefacit. Dei oratione finita Amphitruo promittit sese proposito suo destiturum esse ac deo (cuius verba repetit) obtemperaturum.

Quam affinis tota haec dispositio eis tragoediarum exitibus sit, quos supra enarravimus, tam manifestum est, ut singulis seorsum componendis supersedere queamus.

Apparet igitur poetam eius comoediae Atticae, ex qua cum maxima Plautinae fabulae pars, tum ultimus

1) cf. Leo, quaest. Plaut.[2] 133, Pl. cant. 92.

actus sumptus est (quam Leo fabulam b nominavit), in fine dramatis sui tragoediam quandam imitatum esse, cui idem argumentum erat. Tragicae scaenae compositionem poetam comicum fere immutatam reliquisse vidimus. Deum quoque Euripideo more ex machina actionis nodum sollemni oratione solventem retinuit. Verum hac in re artis suae leges prudenter observavit. Nam comoediam re bene peracta non adstricto socco ad finem currere eximie decet[1]. In tragoediae autem exitu ea quae antea mirabilem in modum facta sunt, clare patefieri necesse est. Non dubito igitur, quin illic Iuppiter oratione sane longiore explicaverit, quis serpentes miserit et qua de causa. Aliam quoque rem nunc recte intellegi posse credo. Inanis scilicet videtur Teresiae commemoratio. Coniecerit quispiam in tragoedia illa Amphitruoni rem a vate declaratam esse, in cuius locum poeta comicus Iovem, qui iam in antecedente fabula partes agebat, supposuerit. Quod ne existimes, duae causae monent. Primum enim ille modus, quo Amphitruo post nuntii narrationem Teresiam arcessere statuit, deinde a deo id facere vetatur, tum expressis verbis proposito desistit, plane congruit cum tragoediarum ratione supra exposita. Unde efficitur etiam in tragoedia Teresiam non arcessitum esse. Accedit alterum. Illa tragoedia, sive ipsa Euripidis Alcmena fuit[2] sive sequioris poetae fabula (nam de

1) Cf. quae supra (p. 40) de Militis Gloriosi nuntio dixi.

2) Alcmenae Euripideae etiam post ea quae Engelmannus exposuit (Progr. Berl. Friedrichsgymn. 1882, repetitum in „Beitr. z. d. griech. Tragikern“, Berol. 1900; cf. v. Wilamowitz, Her.[2] I 54, adn. 92) umbram solam captamus. — Herculem infantem sive iam natum sive nasciturum commemoratum esse ex frg. 103 intellegitur. Verba, ut videtur, chori sunt coniugum rixam mitigantis aut Alcmenam consolantis; possent etiam post Herculis partum in chori exodo dicta esse. Male Nauckius cum Cobeto ἐνῆκεν pro ἔθηκεν recepit. — Ceterum de una re certe constat, quae a viris doctis non satis respici videtur. Aut enim Pythonis illa in vasculo pictura aut Amphitruonis Plautinae exitus originem ducit a fine Alcmenae Euripideae. Tertium non datur,

quinque tragoediis, quae inscriptae erant Alcmena, de duabus, quae Amphitruo, comperimus) certe formis Euripideae artis instructa erat. Solet autem apud illum in fine deus in machina apparens rem patefacere. Atque acer vatum contemptus (vs. 1132 sq.) ab Euripide non alienus foret.

Sed qua de causa poeta tragicus Teresiae mentionem fecit, si eum in scaenam inducere nolebat? Fecit, quia eum invenit in eo epico carmine, ex quo totum argumentum sumebat. Ἡρακλέους γοναὶ anguiumque neces narratae erant in vetusto carmine (Boeotico ut videtur), ad quod arte se applicavit Pindarus[1]) in primo Nemeorum carmine. Poetam scaenicum ex nullo alio atque Pindarum fonte totam narrationem hausisse etiam nunc, licet multa primum a comico Graeco, deinde a Plauto mutata sint, ex Amphitruonis scaena cognoscere possumus. Ancillae

nam utraque actio in eadem fabula nullo modo exstare potuit. Illic enim (in vasculi imagine) deus Alcmenae innocentiam eo testatur, quod mulierem a marito propter stuprum factum condemnatam atque in rogum impositam subitis pluviis e morte eripit; in Amphitruone autem miraculum fit in ipso infantium partu atque in iis quae tum sequuntur rebus. Et hic tragoediae exitus esse potuit et ille, sed duplici miraculo in eadem fabula locus non erat. Rudentis versus in utramque actionem quadraret. Verisimile est in ea fabula, in qua rogus inerat, neque Alcmenae graviditatem neque Herculis partum locum habuisse, sed tantum in extrema dei oratione per vaticinium commemoratum esse. Coniecturam quamvis dubitanter proferre audeam: similem iam inter illas tragoedias rationem intercessisse atque quam inter duo Plauti exempla Leo statuit. Comoedia „a" secuta esse potest eam tragoediam, cuius exitum Pythonis imago illustrat; in hac inerat longa nox, tristitia mulieris a deo desertae, coniugum lis, Alcmenae condemnatio. Altera continebat Amphitruonis errores ac desperationem (non tamen scurrilem in modum fictam ut in comoedia) et in fine Herculis partum ac primum certamen.

1) „Offenbar im Anschluß an ein altes Gedicht" v. Wilamowitz Her. I², 89.

puerum incunabulis colligant, (1104):

1107: postquam in cunas conditust,
devolant angues iubati deorsum in impluvium duo
maximi: continuo extollunt ambo capita.

Tum (1110): angues oculis omnis circumvisere.
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi.

Ego, ait Pindarus, priscam incito famam de Herculis Iphiclisque ortu,

ὥς τ' οὐ λαθὼν χρυσόθρονον
Ἥραν κροκωτὸν σπάργανον ἐγκατέβα,
ἀλλὰ θεῶν βασίλεα
σπερχθεῖσα θυμῷ πέμπε δράκοντας ἄφαρ [1]).
τοὶ μὲν οἰχθεισᾶν πυλᾶν [2])
ἐς θαλάμου μυχὸν εὐ-
ρὺν ἔβαν, τέκνοισιν ὠκείας γνάθους
ἀμφελίξασθαι μεμαῶτες.

Quae sequitur apud Plautum (1112 sq.) ancillae actio a poeta scaenico inventa est, ut ea, quae de miraculo referret, ipsa quoque eius particeps esset vividiusque narraret. Verum ancillarum pavor etiam ab epico poeta depictus erat (cf. Pind. vs. 48 sq.) stilo Odyssiae haud dissimili. — Deinde:

1114: postquam conspexit angues ille alter puer,
citus e cunis exilit, facit recta in anguis impetum:
alterum altera prehendit eos manu perniciter

ὁ δ' ὀρθὸν μὲν ἄντεινεν κάρα,
πειρᾶτο δὲ πρῶτον μάχας,

---

1) In hac re a Pindaro Plautoque differt narratio bibliothecae Apoll. II 4, 8 τοῦ δὲ παιδὸς ὄντος ὀκταμηνιαίου, δύο δράκοντας ὑπερμεγέθεις Ἥρα ἐπὶ τὴν εὐνὴν ἔπεμψε κτλ.

2) Vix opus erit monere impluvium Plauto deberi, ut etiam in Milite Glorioso (175 etc.) exemplo Attico inculcatum est.

διссαῖσι δοιοὺς αὐχένων
μάρψαις ἀφύκτοις χερσὶν ἑαῖς ὄφιας.

Amphitruo cito arcessitus filium praeter exspectationem salvum invenit,

γείτονα δ' ἐκκάλεσεν
Διὸς ὑψίστου προφάταν ἔξοχον
ὀρθόμαντιν Τειρεσίαν.

Is autem ei omnique populo indicavit, quot et quantas res filius gesturus esset[1]).

Haud parvae igitur erant Teresiae partes in carmine epico. Quod carmen hac quidem in re poeta scaenicus non secutus est, sed narrationem epicam et refutavit et commemoravit[2]), non sine quadam vatum detrectatione.

Quoniam de comoediae fine egimus, qui per deum ex machina loquentem fit, non plane silentio praetereundus videtur similis vetustioris comoediae locus, quamquam res quae fuerit divinare magis quam acriter perspicere licet. Diodorus enim periegeta[3]) (apud Plutarchum Themist. 32) in libris quos scripsit de monumentis dixit sese ad magnum Piraei portum prope Alcimi promunturium magnum quoddam fundamentum conspexisse et cippum ei superpositum arae in modum constructum, οἴεται δὲ καὶ

1) Etiam in alia mythi forma Teresiae mentio fit. Ibi Amphitruoni, postquam reversus in errores incidit, Iovis amores a Teresia patefiunt, diu ante Herculem natum (Apoll. bibl. εἰπούσης δὲ (Ἀλκμήνης), ὅτι τῇ προτέρᾳ νυκτὶ παραγενόμενος αὐτῇ συγκεκοίμηται, μανθάνει παρὰ Τειρεσίου τὴν γενομένην τοῦ Διὸς συνουσίαν).

2) „Es ist oft beobachtet, daß die Tragiker in dieser Weise Fassungen der Sage, die sie verschmähen, gelegentlich zugleich benutzen und abweisen." v. Wilamowitz, Her. ² I 85.

3) egregius auctor. — cave igitur ne dubites, quin versus illi revera ex Platonis comoedia sumpti sint. — De Diodori aetate cf. Wilamowitzium Ar. u. Ath. I 263, Ed. Schwartz apud Pauly-Wissowa s. v. Diodorus 37.

Πλάτωνα τὸν κωμικὸν αὐτῷ μαρτυρεῖν ἐν τούτοις[1]) (I 651 Kock):

ὁ σὸς δὲ τύμβος ἐν καλῷ κεχωσμένος
τοῖς ἐμπόροις πρόσρησις ἔσται πανταχοῦ,
οὓς ἐκπλέοντάς τ' εἰσπλέοντάς τ' ὄψεται,
χὠπόταν ἅμιλλ' ᾖ τῶν νεῶν θεάσεται.

Versus sumpti sunt ex nescio qua Platonis comoedia, in qua Themistocles partes agebat aeque atque Miltiades et Aristides in Eupolidis Pagis. Verba autem sunt dei alicuius (nam nulla alia persona sic vaticinari potest) in extrema fabula — nimirum ex machina — imperatori futuros honores praenuntiantis. Sic saepe in Euripidis fabularum finibus deus de heroum, qui in dramate partes agunt, sepulcris futurisque cultibus loquitur; simillimi sunt Platonis loco e. g. versus Hipp. 1423 sqq., Iph. T. 1464 sq. cf. etiam Bacch. 1330—39 et quae Eurystheus de suo ipse busto vaticinatur Heraclid. 1030 sqq.

Neque miramur tam prope ad tragoediae rationem accedere Platonem, quem tragicorum inventa et sermone et argumentis quam maxime exprimere ubique observamus quemque pro mediae comoediae archegeta grammaticorum pars non sine causa habuit.

Quoniam de fabularum exitibus egimus, pauca addamus de actuum finibus. De quibus post Menandrum repertum viri docti multa disseruerunt, praesertim de chori embolimis inter singulos comoediarum actus haud raro interpositis atque de nota χοροῦ, qua poetae inde ab Aristophane illorum canticorum locum significaverunt.

---

1) tam caute Diodorus loquitur (cf. verba antecedentia ὑπονοῶν μᾶλλον ἢ γινώσκων), non quo dubitet, utrum Platonis oratio ad Themistoclem pertineat necne, nam hoc certum esse debebat, si illum testem adhibebat, sed quia non plane constabat, num Plato idem monumentum significaret, quod Diodorus αὐτόπτης in Piraeo viderat nunque hoc revera Themistoclis esset.

Summam rei Fridericus Leo nuper brevi complexus est[1]. Ego tantum monuerim illum modum, quo et Alexis (in Curide; Ath. VIII 362 c = II 333 K) et Menander (Peric. 71 sq., in fragmento Iernstedtii, in Bacchidibus) fabulae personas sese recipientes faciunt, ubi primum chorum appropinquantem viderunt, iam ab Euripide usurpatum esse. Primus enim Phoenissarum actus hunc finem habet: Paedagogus Antigonam, postquam Argivorum exercitum ei demonstravit, domum sese recipere iubet (193):

ὄχλος γάρ, ὡς ταραγμὸς εἰσῆλθεν πόλιν,
χωρεῖ γυναικῶν πρὸς δόμους τυραννικούς,
φιλόψογον δὲ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ κτλ.

Deinde histriones abeunt; chorus in vacuam scaenam ingreditur primumque stasimum (nam parodus in hac fabula nulla est) cantat. Haec conferas velim cum exitu scaenae Menandreae (fragm. Iernst. = Koertii fab. inc. II vs. 33 sq.):

ἴωμ]εν, ὡς καὶ μειρακυλλίων ὄχλος
εἰς τ]ὸν τόπον τις ἔρχεθ' ὑποβεβρεγμένων,
οἷς] μὴ 'νοχλεῖν εὔκαιρόν εἶναί μοι δοκεῖ.

Haec sufficiant exempla artis scaenicae e tragoedia in comoediam translatae. Aliquanto rarius inventa observari possunt, quae iam a veteris comoediae poetis facta in hac arte remanserunt. Unum saltem paucis tangam. In Ecclesiazusarum fine (1112 sqq.) ancilla foras egreditur. Animus eius etiam nunc totus in iis est, quae modo intus fecit. Caput largiter unxit. Itaque Thasiae murrae laudes copiose praedicat. Singillatim explicat, quibus rebus illa murra cetera unguenta superet. Tum demum ad mulieres in scaena praesentes sese convertit: ἀλλ' ὦ γυναῖκες κτλ.[2]

---

1) Pl. F.², 227,³).

2) hoc quoque e tragoedia receptum est; cf. Leo, Monolog p. 30, 67, 82.

Non dubito, quin haec in scaenam incedendi forma etiam in media comoedia duraverit. Nam apud Menandrum rursus invenitur. In Samia (184 sqq.) Niceratus foras egreditur, postquam intus ovem mactavit. Nunc singillatim enumerat, quam multum ea profutura sit — dis, εἰρωνικῶς nimirum, sed hoc ad formam nil refert. Post sex demum versus Chrysida aspicit: ἀλλ' Ἡράκλεις, τί τοῦτο;

Plane eandem structuram ostendit Agricolae secunda scaena (vs. 36 sqq.). Davus, priusquam foras egressus est, intus Syrum offendit agri floribus ad nuptias exornandas onustum. Nunc egredientis animus in illa re versatur. Agri virtutes effert, hic quoque εἰρωνικῶς. Deinde post sex versus Myrrhinam aspiciens: ὦ χαῖρε πολλά, Μυρρίνη.

Simile scaenae initium est etiam in Eunucho (V 5). Senex rure in urbem adveniens villae suae commoditatem laudat[1]). Deinde: Sed estne ille noster Parmeno?

Quoniam de harum scaenarum forma verba facienda erant, occasione oblata lucrari volumus, ut de illo Agricolae loco pauca disputemus. Quae ibi legitur ironica agri laus novae comoediae τόπος est. Agricolae enim locus — si rem spectas — prorsus congruit cum Philemonis fragmento (frg. inc. 12 M = II 509 K) a Stobaeo flor. 57, 6 exscripto et eo quod sequitur apud Stobaeum (57, 7) comici anonymi fragmento (IV 691 M = III 424 K).

Haec ironica agri laus orta est ex vera atque genuina, cuius exempla ab eodem Stobaeo servata sunt, velut Amphidis fragmentum (III 308 M = II 241 K), Philemonis (IV 44 M = II 512 K), Menandri e Plocio (frg. 5 et 7 M = III 118 K). Plocii versus conferri debent

---

1) Nescio an hic Terentius Menandrei exempli proprium colorem deterserit atque rem eodem modo contraxerit quo eum in Heautont. 64 sqq. facere videmus.

cum Amphidis fragmento. Omnes hae agri aut laudes aut accusationes e vita civium Atheniensium, ut tunc temporis erat instituta, optime intelleguntur. Scilicet homines elegantiores haud raro taedebat vitae urbanae, languiscente quodam desiderio ruris simpliciores delicias appetebant. Hic sentiendi modus et Horatii et nostris temporibus aptus a quinto saeculo alienus erat. Sed si magnarum urbium incolae sui reficiendi causa agriculturae sese dedunt, haec occupatio eis magni constare solet. Qui agrum colit ut παυσίλυπον sibi nanciscatur, ei raro bona messis contingit. Quare apud Menandrum ac Philemonem iuxta vitae rusticae laudes ingrati agri vituperationes legimus. Illum vero de quo dixi τόπον subesse credo Epidici loco, cuius verba prope ad Davi Menandrei (Γεωργ. 35) accedunt. Epidicus enim (vs. 306) postquam erus abiit, haec secum loquitur:

nullum esse opinor ego agrum in agro Attico
aeque feracem quam hic est noster — Periphanes.

Soliloquium igitur ab illa ironica laude spectatoribus notissima incipit — tum vero non sequitur: „quam hic est noster ager", sed παρὰ προσδοκίαν eri nomen.

III.

A singularum rerum quam hactenus institutimus inquisitione in latiorem viam regredi lubet. Nam cum tot et tantas res a comicis ex tragica arte receptas esse iterum iterumque observatum sit, aliquando videtur quaerendum esse, quaenam vel potius num quae genuina comoediae elementa (ea enim distinguenda sunt a singulis scaenicis inventis obiter a poetis inductis) inde ab anti-

quis temporibus in comoedia duraverint atque in quibus fabularum partibus tales reliquiae, si omnino conservata sint, latitare potuerint. Quod quaestionum genus, ne nimis longa praefatione res obscuretur magis quam illustretur, extemplo adire melius videtur, exemplis allatis. Ergo a legentibus peto, ut hos duarum comoediarum locos inter se conferant:

ἱματίω δέ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε τούτω,
οἷν μεταλαμβάνων ἀεὶ θἄτερον ἐξελαύνω
εἰς ἀγοράν· ἐκεῖ δ' ἐπειδὰν κατίδω τιν' ἄνδρα
ἠλίθιον, πλουτοῦντα δ', εὐθὺς περὶ τοῦτόν εἰμι.
κἄν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ' ἐπαινῶ
καὶ καταπλήττομαι δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν κτλ.

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
nec sunt: hos consector hisce ego non paro me ut rideant,
sed eis ultro adrideo et eorum ingenia admiror simul.
Quidquid dicunt, laudo; id rursum si negant, laudo id quoque

Iam hae, quas modo exscripsimus orationum particulae, sufficient ad comprobandum, quam similes utrubique res quam simili forma explicentur. Nimirum parasitus et apud Graecum et apud Latinum poetam vitae suae mores artisque principia praedicat. De diversitate vero rerum ab utroque narratarum, cum maior non sit, quam solet esse, ubicumque duo poetae vetus aliquod argumentum recenti arte varient, omnino silere possemus, si hac disputatiuncula de parasiti persona partibusque ab eo in comoediis actis quaereremus. Nunc vero animum nostrum non argumenti, sed formae orationum curiosum atque singularium comoediae partium naturam et — si fieri potest — originem indagantem fugere non potest,

quae ratio intersit inter orationes illas tam similes. Prior enim (Ath. VI 236 e) ab antiquae comoediae choro (scilicet Eupolidis Assentatoribus) in parabasi cantatur, altera (Ter. Eun. 247 sq.) soliloquii pars est a novae comoediae parasito pronuntiati, quo tamen is de colloquio paullo ante cum quodam sodali habito refert.

Iam, postquam duobus exemplis ex Eupolidis et Menandri fabulis sumptis adumbravimus, ex quali origine hoc genus ad qualem finem a florente antiqua usque ad florentem novam comoediam pervenerit, viam, qua poetae ingressi sunt, quantum quidem servata fabularum ramenta permittunt, paullo diligentius persequi conemur.

Antiquae comoediae chorus in parabaseos partibus ex tetrametris trochaicis (apud Aristophanem quidem) compositis, quas epirrhemata et antepirrhemata veteres grammatici appellant, saepe de se ipse ea mente loquitur, ut et sui vivendi agendique mores singulatim describat et haud raro suis de spectatoribus atque re publica meritis glorietur. Conferas quaeso Equit. vss. 565 sqq. Nubb. 577 sqq. Vesp. 1071 sqq. 1101 sqq. Pac. 1140 sqq. (licet enim huius chori ratio non tam facile agnoscatur quam in ceteris fabulis, tamen chorus nihil aliud est nisi agricolarum pacificorum congregatio. Itaque epirrhemata vitam rusticam qualis pacis tantum temporibus esse potest, praedicant) Av. 752 sqq. 785 sqq.

In Avibus vero poeta etiam anapaestos (hos strictiore sensu parabasin vocant) quibus de se ipse et de arte sua fabulari solet[1]) choro concessit, ut illic magnificam cosmogoniam aviumque augustam gloriam expanderet. Atque omnino cavendum est, ne singularum comoediae partium limites ad amussim magis ductos putemus, quam mobilem ludum deceat, velut in parabasi etiam alia metra anapaestorum vice adhibebantur. Etiam in reliquorum poe-

1) de hac re cf. infra.

tarum parabasibus chorum eodem modo de suis moribus vitaeque ratione locutum esse fragmenta quamvis exilia tamen clare docent (e. g. Cratini Μαλθακοὶ ap. Ath. XV 685 d, quorum parabasis eodem atque Nubium metro scripta est; Eupolidis Αἶγες, ubi chorus de suo victu eodem loco narrat atque aves de origine suo; de Κολάκων fragmento accuratius dicendum erit).

De industria tot et tam varia exempla coacervavimus, ut luculenter appareret nihil omnino interesse, utrum ex equitibus an capris an luxuriosis hominibus an avibus an nubibus chorus constiterit, sed chori ipsam naturam flagitare, ut, ubi primum actio histrionum discessu interrupta sit, chorus propriam naturam spectatoribus explicet[1]) et sese eorum favori commendet. Solitam igitur atque communem formam Eupolis usurpavit, cum (nescio an primus; dignum sane foret festivissimo poeta tam felix inventum) adulatorum i. e. parasitorum chorum in prima parabaseos parte[2]) haec loquentem fecit:

ἀλλὰ δίαιταν (cf. Vesp. 1102) ἣν ἔχουσ' οἱ κόλακες πρὸς ὑμᾶς λέξομεν· ἀλλ' ἀκούσαθ', ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοὶ ἄνδρες κτλ.

1) Cf. Wilamowitzii disputationem rel. acad. Berol. 1911. p. 476.

2) Ex ea parte, quam proprie παράβασιν vocant (non ex epirrhemate) hosce versus sumptos esse, metrum docere videtur. Hanc enim partem Eupolis atque Cratinus Aristophanesque libenter ex tetrametris faciebant, quorum initium dimeter choriambicus (vel praecedente vel sequente choriambo) formabat. Confer praeter Nubes et Cratini Malthacos exempla, quae Hephaestio exhibet capite decimo quinto (p 54 sq. C). Ubi Cratini versus Εὔιε κισσοχαῖτ' ἄναξ κτλ. ceterique quos ex eadem parabasi exscripsit, ipsius parabaseos (non epirrhematis) partem esse ex sententiis intellegitur. Neque aliter res se habet in Eupolidis 'Αστρατεύτοις (Hephaest. 54, 25) unde sollemne parabaseon exordium servatum est

ἄνδρες ἑταῖροι, δεῦρ' ἤδη τὴν γνώμην προσίσχετε κτλ.

in hac ipsa autem parabasi sequebatur (p. 55, 1) versus καὶ ξυνεγιγνόμην ἀεὶ τοῖς ἀγαθοῖς φάγροισιν, cuius metrum Κολάκων versibus ad syllabam respondet.

Verum chorus non satis habebat, vitam suam describere, sed etiam — id quod Aristophanis choros saepe facere vidimus — disertis verbis enuntiabat, quam magno emolumento mortalibus esset. Huius orationis initium tantum servatum est (Hephaestio p. 41, 5):

φημὶ δὲ βροτοῖσι πολὺ πλεῖστα παρέχειν ἐγὼ
καὶ πολὺ μέγιστ' ἀγαθά. ταῦτα δ' ἀποδείξομεν [1]).

Eupolis cum post tot alios choros aliquando etiam parasitorum chorum in scaenam ducebat, vix scire potuit sese aliquid procreasse, quod non solum sui sed etiam totius suae aequaliumque artis superstes futurum esset. Nam Urbium, Pagorum, Acharnensium, Equitum chori una cum imperii Attici gloria in nihilum reciderunt, parasiti autem in Athenarum et vicis et pulpitis hercle nimis per saecula vixerunt; schema vero, quo in parabasibus suas res narrare solebant, tale erat, nt etiam, cum chorus sensim delituisset, immutatum remanere posset. Nam chori in parabasi saepe velut una persona loquebantur:

παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι [2]).

Sic Eupolis quoque ex plurali numero statim in singularem cadit:

vs. 3: ὅ τ ο ι σ ι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐστιν
ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κ ἀ μ ό ς αὐτοῦ.
ἱματίω δέ μ ο ι δύ' ἐστόν κτλ.

Commode igitur in media comoedia unus parasitus parasitorum chori heres fieri poterat. Ea tamen lex ad eum

1) Hi versus in epirrhemate primae vel secundae parabaseos erant. Ex secunda Vesparum parabasi (vs. 1275) versus sumpti sunt, quos Hephaestio una cum Eupolidis loco laudat, cum idem metrum ostendant.

2) E praesenti tempore Meinekius (II p. 73) perperam coniecit „eum qui haec recitaret nunc ipsum in ornando coronandoque capite occupatum esse“, non enim praesens actio sed diuturnus vitae modus a Malthacis describitur.

a parentibus pervenit, ut nunquam una atque singularis persona esse ei liceret, sed semper pro genere parasitorum et loqueretur et ageret [1]).

Quam artis vero vinculis eae orationes, quibus in mediae et novae comoediae fabulis parasiti de suis moribus loquuntur, cum stilo ac ratione antiquae parabaseos conexae sint, et ex illarum orationum fragmentis in Athenaei sexto imprimis libro servatis et e Plauto Terentioque optime cognosci potest. Ex quibus nonnullae saltem res hic diligentius excutiendae sunt.

In Dracontio Timoclis fabula (Ath. VI 237 d—f) parasiti laudes ita incipiunt:

οὐδὲν ἔστι γὰρ
ἐν τοῖς τοιούτοις χρησιμώτερον γένος.

cf. praeter Eupolidis Adulatorum secundum fragmentum supra exscriptum (cui simillimus est versus Avium 708:

πάντα δὲ θνητοῖς ἐστὶν ἀφ' ἡμῶν τῶν ὀρνίθων τὰ μέγιστα)

Ar. Nub. 577, Vesp. 1077, Av. 753, 785, 1101 sqq.
Deinde, postquam parasitos partim laudavit partim contra obtrectatores defendit, pergit:

ἵνα μὴ δὲ πολλὰ μακρολογῶ δι' ἡμέρας,
τεκμήριόν τι παμμέγεθες οἶμαί γ' ἐρεῖν,
ὁ τῶν παρασίτων ὡς τετίμηται βίος,

scilicet idem praemium atque Olympionicae accipiunt. Cf. Av. 481:

ὡς οὐχὶ θεοὶ τοίνυν ἦρχον τῶν ἀνθρώπων τὸ παλαιόν,
ἀλλ' ὄρνιθες, κἀβασίλευον, πόλλ' ἐστὶ τεκμήρια τούτων,

---

1) Consulto tota hac disputatione Epicharmi fragmentum (34, 35) praetermisi, quod ab Athenaeo paullo ante Eupolidis verba exscriptum est. Scilicet, cum „Epicharmi“ dramata et Hieronis tyranni et Dionysii minoris aetate facta esse constet, ego quidem neque quo tempore Spes fabula orta sit neque quae ratio omnino inter comoediam Siculam et Atticam, mediam imprimis, intercedat, satis perspectum habeo.

tum sequuntur illa „argumenta", cf. etiam eiusdem fabulae vs. 703 [1]).

In Aristophontis Medico (Ath. VI 238 b) parasitus hoc modo exorditur:

βούλομαι δ' αὐτῷ προσειπεῖν οἷός εἰμι τοὺς τρόπους.

Iam primum verbum quamvis volgare silentio praetereundum non est. Non enim hoc dicendi genere utitur, qui in oratione coepta simpliciter pergit, sed is, qui aut omnino dicere incipit aut orationis incisionem novaeque partis initium clare auditori significare vult. In epirrhematum vero initiis sollemne erat illud βούλομαι (vel βουλόμεθα) εἰπεῖν, δεῖξαι, διδάξαι etc. Cf. Equ. 565, 595, Nub. 1116, Av. 1076, 1101 [2]).

Item atque Aristophontis etiam Diodori parasitus (Ath. VI 239 b) incipit:

βούλομαι δεῖξαι σαφῶς,
ὡς σεμνόν ἐστι τοῦτο καὶ νενομισμένον κτλ.

Aristophontis parasitus τοὺς τρόπους (cf. Vesp. 1102), „mores" suos ita explicat, ut deinceps demonstret, quam aptus ad unumquodque officium sit [3]), hoc quoque se-

1) Quamquam hi versus non in parabasi leguntur, sed in ea parte, quam ἀγῶνα nimis anguste vocant, tamen huc pertinent. In hac enim fabula inter omnes quas quidem tenemus et pulcherrima et summa arte exculta neque Pithetaerus neque alius histrio primas partes agit, sed ipse avium chorus. Itaque huius gloriae describendae et eae partes deditae sunt, quibus in ceteris fabulis poeta aut de se ipse aut de re publica singulisque hominibus loqui solet et „ἀγῶνος" locum non certamen aliquod, sed res gestae avium futurique imperii spes tenent. Quo fit, ut ille propius quam solet ad parabaseos argumentum accedat.

2) Pindari encomium sic exorditur (frg. 110): βούλομαι παίδεσσιν Ἑλλάνων, cf. P. IX, 1: ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν . . . Τελεσικράτῃ γεγωνεῖν.

3) Cf. Nicolai parasiti orationem (vs. 27 sqq.) (infra p. 82). — Item in ignoti poetae satyris nuper repertis (Oxyrh. pap. VIII, p. 63)

cundum parabaseos rationem (e. g. Nub. 577 sqq., Av. 709 sqq.).

Ex Diodori parasiti oratione aliquot versus exhibere satis habeo:

vs. 21: ὅτι δ' ἦν τὸ πρᾶγμα (i. e. parasitari)
ἔνδοξον ἀεὶ ⟨καὶ⟩ καλόν,
ἐκεῖθεν ἂν γνοίη τις ἔτι σαφέστερον,

inde enim, quod ad Herculis dapes publice celebrandas duodecim nobiles parasiti ex civibus eliguntur. Hic est is argumentandi modus, de quo iam, cum Timoclis fragmentum interpretabamur, diximus cuiusque lucidum exemplum in Avium parabasi invenimus.

In Antiphanis Lemniarum fragmento (Ath. VI 258e) parasitus haec profitetur:

εἶτ' ἔστιν ἢ γένοιτ' ἂν ἡδίων τέχνη
ἢ πρόσοδος ἄλλη τοῦ κολακεύειν εὐφυῶς;

et quae sequuntur, plane eodem modo quo agricolarum chorus suam vitam (Pac. 1140 sqq.) vel aves suam laudibus efferunt (785):

---

satyrorum chorus, ab Oeneo (?) interrogatus, quales sint et quo genere nati, (vs. 3—5), haec respondet:

6 ἅπαντα πεύσῃ, νυμφίοι μὲν ἥ[κομε]ν,
παῖδες δὲ νύμφων, Βακχίου δ' ὑπηρέται,
θεῶν δ' ὅμαυλοι· πᾶσα δ' ἥρμοσται τέχνη
πρέπουσ' ἐν ἡμῖν· ἔστι μὲν τὰ πρὸς μάχην
πυγμῆς, ὀδόντων, ὄρχεων ἀποστροφαί,
ἔνεισι δ' ᾠιδαὶ μουσικῆς, ἔνεστι δὲ
μαντεῖα πάντα γνωτὰ κοὐκ ἐψευσμένα κτλ.

et usque ad vs. 16 suarum facultatum catalogum recitant. In fine quaerunt:

ἆρ' ἄκαρπος ἡ θεωρία;
ὧν σοι λαβεῖν ἔξεστι τοῦθ' ὁποῖον ἂν | χρήζῃς, (cf. Timoclis, Antiphanis, Aristophontis orationes parasitorum) ἐὰν τὴν παῖδα προστιθῇς ἐμοί.

de genere semper loquuntur, itaque Oeneus respondet:

ἀλλ' οὐχὶ μεμπτὸν τὸ γένος.

οὐδέν ἐστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.

Ad parasitorum orationes ab Athenaeo excerptas accedit egregium sive mediae sive novae comoediae fragmentum e Nicolai cuiusdam (Meineke hist. crit. 496) fabula a Stobaeo flor. XIV 7 traditum (III 383 K) cuius orationis initio:

Τὸ τῶν παρασίτων, ἄνδρες, ἐξεῦρεν γένος
Διὸς πεφυκώς, ὡς λέγουσι, Τάνταλος

variatur ille τόπος, quo usus Diodorus parasitum ita loquentem inducit (Ath. VI 239 b):

τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ φίλιος,
ὁ τῶν θεῶν μέγιστος ὁμολογουμένως.

Sed iam proximis versibus docemur Tantalum parasiti officiis non satis prudenter functum esse. Hinc profectus parasitus vehementer invehitur in eos, qui nobili illa arte abutuntur:

12: διὸ δὴ τοιαύτης παντελῶς κακεξίας
ἐν τοῖς βίοις παρὰ πᾶσιν ἐζηλωμένης
πικρῶς ἐπιπλῆξαι βούλομ', ἄνπερ νὴ Δία
παρρησίαν μοι δῶτε, τοὺς ἀσυμβόλους,
τἀλλότρια δειπνεῖν ἑλομένους ἄνευ πόνου

deinde vivis conviciis istos impudentes aemulatores nulla artis scientia instructos consectatur. Etiam haec nova orationis pars (quam verbis βούλομαι ἐπιπλῆξαι incipere velim animadvertas) sicut totum genus originem ducit a parabaseon epirrhematibus. Nam ut chorus primum sese ipse vel proquinquos suos celebrat

(εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν Equ. 565.
ἃ ξύνισμεν τοῖσιν ἵπποις, βουλόμεσθ' ἐπαινέσαι ibid. 595)

sic postea inimicos suos conviciis cumulat

(λοιδορῆσαι τοὺς πονηροὺς οὐδέν ἐστ' ἐπίφθονον,
ἀλλὰ τιμὴ τοῖσι χρηστοῖς, ὅστις εὖ λογίζεται ibid. 1274).

Hoc saepius (scilicet in Aristophanis fabulis, nam de ceteris poetis iudicare non possumus) in secundae parabaseos

epirrhemate fit[1]), (Equ. l. l., Pac. 1172 sq., Av. 1071 sqq.) sed non necessario, velut in Acharnensibus, ubi secunda parabasis non est, (676 sqq.) veteres Μαραθωνομάχαι procaces adulescentulos in priore epirrhemate vituperant. Hisce tetrametris indignatione plenis id proprium est, quod non tam cives omnino molesti urbisque hostes vituperantur quam ipsius chori inimici, nobiles atque superbi iuvenes a carbonariis Acharnensibus, imperatores ducesque ab agricolis pacis amantibus, aucupes ab avibus. Sic parasitorum quoque genus vel is, qui eius nomine loquitur, postquam sese collaudavit, inimicis suis, nimirum pseudoparasitis detrectat. Cuius rei alia exempla, si de Plauto agendum erit, reperiemus.

Elementa artis (στοιχεῖα vs. 30) a Nicolai parasito enumerata facultatesque quas sibi ante omnes praesto esse profitetur, iam ex Athenaei libro sexto nobis nota sunt.

Propitio casu fit, ut in una mediae comoediae fabula, quam totam tenemus, egregia parasiti oratio insit (Persa I, 2), cuius dispositio si summam rei spectas haud multum differt ab ea, de qua modo egimus. Nam initio Nicolai parasitus artem ut ab insigni priscorum temporum rege et eo Iovis filio inventam, Saturio ut nobilium patrum suorum nobile munus omnibus laudibus effert. Deinde Saturio quoque eos adoritur, qui ad eundem quidem atque ipse finem diversa tamen via progrediuntur[2]), scilicet id

1) Operae pretium videtur verbo saltem tangere singularem modum a poeta in Thesmophoriazusis adhibitum. Ibi enim chorus mulierum in parabasi, ut facere solent, sese laudat (ἡμεῖς τοίνυν ἡμᾶς αὐτὰς εὖ λέξωμεν παραβᾶσαι) tum vero in magno illo cantico, quod secundae parabaseos locum obtinet, haec dicit (962):

εἰ δέ τις προσδοκᾷ κακῶς ἐρεῖν
ἐν ἱερῷ γυναῖκά μ' οὖσαν ἄνδρας, οὐκ ὀρθῶς φρονεῖ.

contra morem igitur hoc omittebatur.

2) Aliter F. Leo Pl. F^2. 125, sed hic certe parasitorum a sycophantarum genere diligenter distinctum est, ut nobile a vili.

agunt, ut nullo proprio sumptu, nullo labore adhibito commode vita fruantur. Nobili indignatione ardens parasitus exclamat:

62: neque enim decet sine meo periclo ire aliena ereptum bona,
neque illi qui faciunt mihi placent.

Verum qui Saturioni tam acriter bilem movent, non convivae invocati sunt ut in Nicolai soliloquio sed quadruplatores. Ita oratio a privatis ad publicas magis res declinat, quo de genere infra fusius dicemus. Transitum vero ad aemulos reprehendendos Saturio plane eodem modo sibi parat quo apud Nicolaum factum vidimus. Hic enim:

πικρῶς ἐπιπλῆξαι βούλομ', ἄνπερ νὴ Δία
παρρησίαν μοι δῶτε, τοὺς ἀσυμβόλους κτλ.

ille autem: 64 planen loquor?

Eiusdem vituperationis modus, ita tamen ut ad antiquae comoediae exemplum multo propius accedat, invenitur in alia comoedia Persa multo recentiore. In Captivis enim (IV 2) Ergasilus parasitus felicem eventum nanctus tamquam victor triumphans in scaenam incurrit. Omnibus mortalibus (798) perniciem minatur, nisi via sibi decedant. Tum vero (inde a versu 807) contra certa tantum hominum genera saevit. Sunt autem ii qui parasito maxime inimici sunt, neque loca quae nominat alia sunt, quam quae opsonanti homini curae esse debent. Nempe de pistoribus edicit, de pistrino, de piscatoribus, de foro, de laniis. Ulciscitur autem eos, qui ventrem eius antea deceperunt (818—20). Nunc recordamur etiam agricolarum (in Pace) aviumque choros, postquam e certamine victores discesserint, gravi vituperatione ac minatione (Pac. 1187) de suis inimicis triumphasse. Iuvat fortasse Avium secundam parabasin conferre. Condito enim avium regno chorus in epirrhemate haec proclamat:

1076 βουλόμεσθ' οὖν νῦν ἀνειπεῖν ταῦτα χἠμεῖς[1]) ἐνθάδε.

tum edicunt eum, qui talem et talem famosum aucupem interfecerit, talentum accepturum esse etc. Finis autem edicti hic est:

1084 ταῦτα βουλόμεσθ' ἀνειπεῖν. κεἴ τις ὄρνιθας τρέφει
εἰργμένους ὑμῶν ἐν αὐλῇ, φράζομεν μεθιέναι.
ἢν δὲ μὴ πείθησθε, συλληφθέντες ὑπὸ τῶν ὀρνέων
αὖθις ὑμεῖς αὖ παρ' ἡμῖν δεδεμένοι παλεύσετε.

nonne has quoque „basilicas edictiones atque imperiosas" esse censeamus?

Cum praeterea Ergasili orationis stilus ac dispositio antiquae comoediae quam maxime me commonefaciat ac toto caelo distare videatur a recentioris comoediae solita dictione, vix dubito quin ex quinti saeculi consuetudine aliquid huc demanaverit[2]).

Cum parasitorum τρόπων καταλόγοις quadam similitudine coniuncta est Periplectomeni (Miles Gl. III 1) Ephesii morum suorum (cf. quae Palaestrio vs. 657 sq. interloquitur) expositio. Quae affinitas ut recte cognoscatur, conferendi sunt vss. 641—46, 651—68 cum Athenaei libri sexti pagina 237 d usque ad 238 f, imprimis vero cum fragmento ex Antiphanis Geminis (238 a) excerpto, cuius versus

---

1) I. e. etiam nos, sicut faciunt hodie maxime publici praecones (de quibus antea dixerunt).

2) Aliter comparata est scaena quamvis similis Curculionis (II 3), nam ibi parasitus quibuslibet magistratibus hospitibusque cum parasiti negotio non coniunctis minatur. Contra Mercatoris ultimi versus cum Captivorum scaena Graecisque epirrhematibus comparari potest. Nam postquam iuvenes vicerunt, Eutychus pro genere iuvenum haec dicit:

1015: dicamus senibus legem censeo
prius quam abeamus, qua se lege teneant contentique sint:

sequitur lex, legum publicarum forma concepta; neque deest in fine (1023) comminatio poenae, si quis senum contra legem peccaverit.

6—9 paene idem continent atque Militis vss. 652—56[1]). In eadem Militis scaena ne id quidem, quod sequitur, artius quam prior pars cum vera fabulae actione cohaeret. Nam quasi concertatio (ἀγών) est de argumento: an seni diviti sit ducenda uxor? Quod Periplectomenus certe negat, cum contrariam sententiam modo Palaestrio (681) modo Pleusicles (timide sane 703 sq.) defendant. Argumentandi vero modus, quo singula caelibis vitae emolumenta secundum diei progressum a primo mane enumerantur omniaque illa bona large describuntur (709 sqq.), antiquae concertationum rationi plane respondet; optime conferri potest tota Philocleonis ad defendendum studium iudiciale habita oratio (inde a vs. 552).

Parasitis proximum est c o c o r u m genus. Itaque A t h e n i o n i s μαγείρου φυσιολογοῦντος oratio (Ath. XIV 660 e) primum artis utilitatem solito more laudat:

οὐκ οἶσθ' ὅτι πάντων ἡ μαγειρικὴ τέχνη
πρὸς εὐσέβειαν πλεῖστα προσενήνεχθ' ὅλως;

versus 17 sqq.:

ὅθεν ἔτι καὶ νῦν τῶν πρότερον μεμνημένοι
τὰ σπλάγχνα τοῖς θεοῖσιν ὀπτῶσιν φλογὶ
ἅλας οὐ προσάγοντες· οὐ γὰρ ἦσαν οὐδέπω
εἰς τὴν τοιαύτην χρῆσιν ἐξευρημένοι.

qui praesentium temporum usum ad priscam gentis suae (avium vel cocorum) historiam referunt, respondent argumentationi in Avibus adhibitae vs. 488, 521. Eodem atque haec oratio pertinet etiam laus piscatoriae artis ex Anaxandridis Ulixe ab Athenaeo (VI 227 b) excerpta.

1) Cf. etiam Aristophontis Medici versus (238 b):

δεῖ τιν' ἄρασθαι μέσον
τῶν παροινούντων, παλαιστὴν νόμισον + αὐταργειον + μ' ὁρᾶν·*)
προσβαλεῖν πρὸς οἰκίαν δεῖ, κριός· κτλ.

cum Militis vss. 663 sq.:

opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me
opusne leni? leniorem dices quam mutum est mare etc.

*) nescio an scribendum sit αὐτάρκη.

Sed licet parasitorum imprimis orationum uberior nobis copia ea de causa suppetat, quia Athenaeus, ut permulti iam ante eum fecerant, de iis omnia quae invenire potuit testimonia diligenter collegit, tamen ex comicae artis natura sequitur etiam aliorum generum homines eadem ratione de rebus suis muneribusque spectatores docuisse. Quod cum poetae faciebant, haud raro antiquae parabaseos quamvis ipsi talis conexus ignari exemplum sequebantur, seu iam ab antiquis poetis eiusdem generis chori inducti erant[1]) seu ad parasitorum aliorumve generum exemplum huiusmodi orationes instituebantur. Ut parasiti enumerare solent, ad quantas simul res usque apti paratique esse debeant, sic Alexidis adulescens amans haec de genere amantium praedicat (Ath. XIII 562 f = II 382 K):

τίς οὐχί φησι τοὺς ἐρῶντας ζῆν μόνους;
⟨οὓς⟩ δεῖ γε πρῶτον μὲν στρατευτικωτάτους
εἶναι πονεῖν τε δυναμένους τοῖς σώμασιν
μάλιστα προσεδρεύειν τ' ἀρίστους τῷ πόθῳ,
ποιητικούς, ἰταμούς, προθύμους, εὐπόρους
ἐν τοῖς ἀπόροις, βλέποντας ἀθλιωτάτους.

Pro toto genere suo Cleareta lena (Asin. I 3) verba facit. De industria igitur semper plurali numero utitur omnibusque sententiis generaliorem quandam vim impertit, ut non in Argyrippum solum cadant (176 sqq., 199—203, 215—26). Hoc dicendi genus imago lepide exculta (215 sqq.) quam maxime decet; haud dissimiles sunt Anaxilae (Ath. VI 254c = II 274 K) versus sequentes:

οἱ κόλακές εἰσι τῶν ἐχόντων οὐσίας
σκώληκες. εἰς οὖν ἄκακον ἀνθρώπου τρόπον
εἰσδὺς ἕκαστος ἐσθίει καθήμενος,

1) Quod nos plane fugit. Quis enim dicere audeat, num, ut quodvis exemplum sumam, in Cratini Μαλθακοῖς chorus ex „mollibus“ adulescentulis amantibus luxuriantibusque constiterit, qualium societates tam saepe in nova comoedia videmus?

ἕως ἂν ὥσπερ πυρὸν ἀποδείξῃ κενόν.
ἔπειθ' ὁ μὲν λέμμ' ἐστίν, ὃ δ' ἕτερον δάκνει.

Ex tali fortasse oratione qualis est Clearetae sumpti sunt tres versus ad Truculenti vss. 227 sq. adscripti (224—6). Neque eiusdem fabulae prima atque secunda scaena a toto hoc genere alienae sunt. Diniarchus enim amantium curas munera calamitates dedita opera explanat, id quod iam Alexidis iuvenem facere modo vidimus. Imago (vs. 35 sqq.), qua orationem exornat, fere eadem est atque in Asinaria. Postremo propria mala longe relinquit atque ad generaliorem magisque ut ita dicam publicam rerum contemplationem progreditur (62 a—76), unde in fine demum ad propriam rem revertitur. Ex hoc quoque exemplo discimus — id quod minime neglegendum esse censeo — quam laxe (non tamen laxius quam antiqua parabasis) huiusmodi orationes cum fabulae actione coniunctae sint. Truculenti poeta iuste et festive operam dat, ut a nobis, postquam adulescens questibus suis aures nostras implevit, audiatur et altera pars. Nam secunda scaena priori paene respondet: illic adulescens scorta lenasque, hic meretricis ancillula adulescentes fraudis scelerisque accusat. Astaphium quoque illorum quales nunc sint mores describit (99 sq.); cf. 64 sq.

Multo vehementius quam Diniarchus de eadem re nescio quis in Alexidis quadam fabula (Ath. XIII 568 a = II 329 K) contumelias facit magnumque catalogum facinorum a lenis meretricibusque commissorum componit. Quis est quin in longae illius orationis et stilo et structura antiquorum epirrhematum ὀξυθυμίαν sentiat?[1]). Hic

1) Talia epirrhemata, quae non reipublicae sed humanae societatis institutiones cavillabantur, ne in antiqua quidem comoedia deerant. Sic particula servata est (Ath. XI 481 b) ex Pherecratis quodam epirrhemate, ubi virorum chorus mulieres maximarum iniuriarum accusat.

quoque de communi quodam detrimento, quod ad omnes cives spectat, querela habetur a fabulae actione plane aliena.

Cum hisce contumeliosis orationibus variis quidem vinculis cohaeret, sed una re atque ea insigni segregatum est aliud genus, quod, cum certa ubique nota et inter se conexum et ab illis disiunctum sit, seorsum melius tractari posse videtur. His enim orationibus cum iis, de quibus supra diximus, id commune est, ut a fabulae actione atque argumento parumper digredi soleant, a certo facto ad latiorem generalioremque rationem ascendant, interdum etiam quam nostrates dicunt illusionem ea mente tollant, ut poetae verum tempus locumque magis quam fictum fabulae respiciant (id quod comoediae genuinum usque ius, tragoediae raro tantum permissum, tum vero egregio ornamento est)[1]. Sed ab illis eo differunt, quod non id maxime agunt, ut certi cuiusdam generis hominum mores vitamque fuse describant (quamquam hoc quoque in iis invenitur), sed ut publicas civilesque res in spectatorum animos vocent, de miseriis mendisque querantur, quomodo possint sanari, proponant. Fluxit hoc ex antiqua cavillandi atque criminandi licentia, quae non minus quam illud ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν in comoedia semper duravit (cf. Leo, Herm. XVIII, 559 sq.); verum non singuli homines his orationibus petuntur, sed totius civitatis leges, mores, instituta. Id in antiqua comoedia per totam quamque fabulam pertinere solet, summo vero impetu in concertationibus (ἀγῶνας dico) et parabasibus erumpit. Hoc etiam in nova comoedia a philosophandi modo, quem a

1) Velut, ut de Euripide plane taceam, in Hamletii duabus scaenis, ubi de histrionum artis praesenti statu poeta queritur (II, 2 ubi Rhodostephanus de infantibus histrionibus, qui in urbe sint, refert; III, 2 ubi princeps malos histrionum ac spectatorum mores perstringit).

tragicis, Euripide imprimis, cultum media comoedia receperat et posterioribus tradiderat, nonnihil discrepare exempla docebunt.

Principem igitur locum teneat ea fabula, in qua illae rerum civilium contemplationes non ornamenti loco additae, sed, ut paullo acrius id quod sentio significem, verum fabulae nucleum facere, actio autem atque personarum fortunae tantum quasi cutis circumdatae esse mihi quidem videntur; Philemonis Thesaurum dico. Iam in prima scaena Megaronides perpauca de se ipse locutus morum pravitatem vehementer accusat. Neque — ut faceret persona Euripidea — in universum loquitur de humani generis natura, sed id quod nunc, quod Athenis est, criminatur[1]). Quodsi ita pergit:

34: Nimisque hic pluris pauciorum gratiam
faciunt pars hominum quam id quod prosint pluribus.
ita vincunt illud conducibile gratiae,
quae in rebus multis opstant odiosaeque sunt
remoramque faciunt rei privatae et publicae,

quis non videt eum plane πολιτικῶς loqui? Propositi sui paene oblitus esse videtur, nam quid ultimae sententiae ad Calliclem? Qui, si quid peccavit (ut ille suspicatur) sibi ipse providit, sed non „pauciorum" (τῶν ὀλίγων) gratia, „pluribus" (τῷ πλήθει) damnum dedit. Revera hoc loco non Megaronides sed Philemo, suis non minus quam patrum temporibus poetam verum populi magistrum esse ratus, curas timoresque suos de pulpitis spectatoribus revelat. Erat olim florente re publica aptius quod talibus poeta sonis impleret instrumentum, civium liberorum chorus; nunc illas sententias singulis histrionibus, etiamsi

1) Dubitari non potest, quin fabula premente annona scripta sit (vs. 30—33). — Contraria res in alia Philemonis fabula commemoratur (Most. 159).

orationibus eorum non semper plane concinnae erant, committere coactus erat[1]). Sed redeamus ad Trinummum. Secunda scaena Callicles Megaronidi arcanum suum aperit. Is posteaquam cognovit, quam iniuste amicum in suspicionem vocaverit, graviter commotus temeritatem suam perstringit. Sed hoc eodem modo facit atque antea locutus est, ita enim, ut de publica quadam calamitate magis quam de proprio vitio verba faciat. Haec ille:

199: nihil est profecto stultius neque stolidius
neque mendaciloquius neque argutum magis,
neque confidentiloquius neque peiurius,
quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.

Iterum non de hominum natura philosophatur, sed praesens Athenarum malum conqueritur. Ut hanc differentiam quae sit, recte perspicias, conferas velim Pseudoli fabulae ut videtur Philemone aliquanto iunioris similem locum (427). Ibi de eadem re et multo neglegentius et multo generaliore sententia agitur. Callipho de hominibus quales semper ubique sunt, Megaronides de scurris loquitur, qui nunc ipsum Athenis vagantur. Neque temere dicit: urbani assidui cives.

Item Xenarchus in Pentathlo (Ath. XIII 569 a = II 468 K) verbis:

δεινά, δεινὰ κοὐκ ἀνασχετὰ
ἐν τῇ πόλει πράττουσιν οἱ νεώτεροι

longae de pravis iuvenum amoribus querelae initium facit, vel in anonymi comici fabula (Mein. IV 611) nescio quis sic loquitur:

---

1) Contra ea vice, qua in antiqua comoedia anapaesti parabaseos, in nova prologus fungitur. Ibi poeta vetusto more de suis rebus, de artis suae ratione, de aemulis etc. fabulatur. His igitur rebus, ad spectatores conciliandos in comica quidem arte necessariis, certus semper locus constitutus erat, publicis diatribis non item.

τὸ δ' ὅλον οὐκ ἐπίσταμαι
ἐγὼ ψιθυρίζειν [1]), οὐδὲ κατακεκλασμένος
πλάγιον ποιήσας τὸν τράχηλον περιπατεῖν,
ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ κιναίδους ἐνθάδε
πολλοὺς ἐν ἄστει καὶ πεπιττοκοπημένους.

Sequitur in Megaronidis soliloquio enumeratio facinorum a scurris commissorum, quae antiquas concertationes redolet.

Tota fabula quamvis lepida tamen leni quadam tristitia tincta esse videtur. Eaedem semper sententiae pronuntiantur, quasi poeta sollicitudinis nubes dissipare nequierit. Summum autem affectum ostendit et solitas patrum admonitiones vera gravitate longe superat Philtonis oratio (II 2). Hic quoque de morum pernicie lamentatur (284: novi ego hoc saeculum moribus quibus siet etc.) et singula scelera enumerat. Antiquos mores, maiorum pudicitiam desiderat. Senis seria atque sincera verba multum absunt a triviali acti temporis laude; quis non commovetur, si exclamat:

lacrumas
haec mihi quom video eliciunt,
quia ego ad hoc genus hominum duravi.
quin prius me ad plures penetravi?

In his cogitationibus quid dicatur quam a quo dicatur multo magis poetae interesse vel inde apparet, quod perinde atque primum Megaronides deinde Philto fecit, postremo etiam Stasimus philosophatur. Certe non sine lepore illud fallaciae caput tam considerate loquitur; in hac ipsa discrepantia scaenae vis posita est. Tamen dicta eius seria sunt et cum ceteris fabulae sententiis optime conveniunt. Stasimi diatriba superiori soliloquii parti agglutinata magis quam cum ea conexa est; ita exorditur:

---

1) Id est id ipsum, quod isti „scurrae“, h. e. famigeratores, faciunt; cf. v. Wilamowitz rel. ac. Berol. 1901, p. 1315.

1028: Utinam veteres homi⟨num mor⟩es, veteres parsimoniae
potius ⟨in⟩ maiore honore hic essent quam mores mali.
1032: nam nunc mores nihili faciunt quod licet, nisi quod lubet.
ambitio iam more sanctast, liberast a legibus;
scuta iacere fugereque hostis more habent licentiam etc.

haec illa criminatio est iam ab antiquis comicis decantata, qui semper inimicos suos ut ῥιψάσπιδας calumniantur (velut, ut ex epirrhemate tantum exemplum sumam, in Pac. vs. 1186).

Deinde de miserabili qui nunc sit legum statu non sine lepida effiguratione (Socraticae illius reminiscimur) queritur [1].

Similiter in antiquae comoediae concertatione [2]) Plato dixerat (II 620 M = I 605 K):

εἴξασιν ἡμῖν οἱ νόμοι τούτοισι τοῖσι λεπτοῖς
ἀραχνίοις, ἃν τοῖσι τοίχοις ἡ φάλαγξ ὑφαίνει.

Nemo potest quam Stasimus magis πολιτικῶς loqui:

Nonne hoc publice animum advorti? nam id genus hominum omnibus
universis est advorsum atque omni populo male facit.

Menander, licet saepe a Philemone dissenserit, hac tamen in re ipse quoque antiquo comoediae munere functus est. Nam in Bacchidibus (III 3) longam antiquae novaeque vitae atque inprimis puerorum educationis

1) Versum 1038 παρ' ὑπόνοιαν terminat. Stasimus hunc iocandi modum diligit: in versibus 722—26 unumquodque enuntiatum praeter exspectationem finitur.

2) Fragmentum ἀγῶνος partem esse metrum docet.

comparationem legimus, quae, si quid in Plauto, plane Graeca est. De huius orationis sententiis ac structura multa verba facere supersedere possum, sed a lectore peto, ut Bacchidum scaenam cum Iustae Rationis in Nubibus oratione (inde a vs. 961) diligenter comparet[1]. Hoc tantum moneo singularum occupationum officiorumque enumerationem (Bacch. 424—34) secundum diei tempora institutam antiquae comoediae demonstrationibus maxime propriam esse, id quod iam antea, cum de Militis scaena Vesparumque concertatione egimus, commemoravimus. Praeterea quantum ad sententias huius Bacchidum scaenae (nec non Trinummi) attinet, conferre iuvat Ran. 1065—73 et magis etiam Equit. 566—76.

Omnino vero id, quod in iis contemplationibus resonat, comoediae si minus principium at certe magnum atque pulchrum elementum est. Nam huius artis quasi pennas crescere semper fecit desiderium quoddam beatae vitae. Fuit olim haec vita, cuius nunc apud nos vestigia adeo evanuerunt, ut ad Iovis solium vel in avium fabulosum regnum emigrare debeat, si quis eam reperire velit, — fuit olim in ipsa terra nostra patrum nimirum memoria. Illa felici aetate neque cibi neque reliqua vitae bona sudore hominibus elaboranda erant, ultro omnia appetenti in manus crescebant (Ath. VI 268—269c). Meras delicias praeteritis temporibus viguisse, futuris redituras esse (Ath. VI 269c sq.) comoediae Musa docet, nunc vero omnia misera maesta caliginosa. Sed non modo ad ventris victum haec lex pertinet, in publicis rebus hominumque moribus eadem regnat. Desinamus tandem Eupolidi atque Aristophani credere affirmantibus

1) Etiam alterius personae interlocutio atque eius refutatio eadem est, cf. Bacch. 437, Nubb. 984 sq. — Similitudinem utriusque scaenae iam Iustus Lipsius perspexit, qui epist. quaest. III, 17 haec scripsit: Iam in Bacchidibus totus ille de disciplina puerili locus non abest, quin ab eodem Aristophane sit in Nubibus etc.

Miltiadis Themistoclisque temporibus omnes homines virtute plenos fuisse, Periclis atque Cleonis nefarios tantum ac scelestos inveniri. Comoedia haec est, comoedia autem tristi hodierno laetum hesternum diem opponit, Menandri non minus quam Eupolidis aetate. Atque nulla neque privata neque publica res est, nullum officium, nulla scientia, nulla ars, nulla virtus, in quam haec regula non valeat, ut eam olim floruisse, nunc iacere in comoedia dicatur [1]).

Ad Trinummi orationes Diphili Nuptiarum fragmentum (Ath. VI 254c = II 547K) prope accedit. Ut Megaronides de famigeratoribus sic hic nescio quis de adulatoribus queritur:

ὁ γὰρ κόλαξ
καὶ στρατηγὸν καὶ δυνάστην καὶ φίλους καὶ τὰς πόλεις
ἀνατρέπει λόγῳ κακούργῳ μικρὸν ἡδύνας χρόνον [2]).

tum vero oratio ad latiorem cogitationem deflectitur:

νῦν δὲ καὶ καχεξία τις ὑποδέδυκε τοὺς ὄχλους,
αἱ κρίσεις θ' ἡμῶν νοσοῦσι, καὶ τὸ πρὸς χάριν πολύ.

Ultima verba idem volunt atque hoc Megaronidis dictum:

636: ita vincunt illud conducibile gratiae,
quae in rebus multis opstant odiosaeque sunt etc.

Iam vero manifestum est publicarum rerum considerationes, quibus in antiqua comoedia certus locus vel potius complures constituti erant, novae comoediae strictiori ac severiori compositioni non sine quadam difficultate inculcari potuisse; ac nescio an poetae ipsi id hic illic senserint. Aliquando enim (ut in alio genere Pindarus

1) Cf. e. g. Ar. Ran. 717—33, Eupolis in Urbibus Ath. X, 425a (= I 314K), idem in Pagis frg. 15M, Pherecrates ap. Ath. VI 263b = I 147K (de rebus domesticis), Plato ap. Ath. XIV 628d = I 636K (de saltatorum arte), cf. etiam Trucul. 64sqq.

2) Cf. simillimos versus Menandri Colacis 54—63.

et Horatius) sese ipsi ad propositum suum quasi revocant, velut Philemo Stasimum in fine orationis dicentem facit:

1057: sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis
potius quam, id quod proxumumst, meo tergo tutelam geram.

Aliter res comparata est in simili Persae (75) loco, nam Saturionis verba:

sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
ubi sint magistratus, quos curare oporteat?

a Plauto Graecae diatribae annexa esse Leo (Pl. F². 125) demonstravit. Ceterum illa oratio ab hoc genere minime aliena est. Nam Saturio quoque suis generisque sui muneribus expositis de re publica disserit. Primum quadruplatores accusat, tum explicat, quo pacto illa pestis tolli possit (68 sqq.). De hoc loco atque omnino de iis, quibus postulatur; ut lege aliqua aut alia civitatis actione publica instituta corrigantur, paullo aliter iudico ac Fridericus Leo (Pl. F². 122 sq.). Cui plane assentior contendenti (p. 115 sqq.) mediae comoediae poetas illam — ut aiunt — philosophiam, quae in morum humanorum contemplatione maxime versatur et fabulosis commentis, quo pacto corrigi possint, ludere amat, ex Euripide prompsisse vel ad eius exemplum finxisse. Tragoedia vero, cuius argumenta et longe praeteritis temporibus et saepe longinquis locis (vel in Caucaso vel Aegypto vel Troiae) agantur, semper id agere studet (quamquam hanc legem nonnunquam rupit) ut, quantum fieri possit, communes totius humani generis[1]) omniumque terrarum res

1) Si minus id, at certe totius Graeciae, cf. Eur. Andr. 693; Leo Pl. F². 118. — Vix opus est dicere orationes, quales sunt in Supplicum notissima scaena (inde a vs. 399) huc non pertinere, cum plane aliter comparatae sint; nam hic certae πολιτεῖαι describuntur, velut terra vel oppidum describi potest, atque in describendo loquentes, ut fieri solet, suam rem defendunt ac laudant.

tractet. Comoediae autem, quae extemporalis originis vestigia diu retinuit, Athenae praesensque dies cordi sunt. Iam hac de causa illas cogitationes, quibus dicitur hanc illam rem *nunc* Athenis vel in *urbe* florentem hoc illo rei publicae consilio sanari posse, ex comoedia potius quam ex Euripide derivaverim. Nunc vero non pauca huius generis exempla ex antiqua comoedia servata sunt. Sic in parabasi Aurei Generis *Eupolideae* haec erant:

ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν.

Aristophanes in Thesmophoriazusis (hi versus ad recentioris comoediae rationem proxume accedunt) mulierum chorum in parabaseos epirrhemate haec proclamare facit:

832 *χρῆν γάρ*, ἡμῶν εἰ τέκοι τις ἄνδρα χρηστὸν τῇ πόλει,
ταξίαρχον ἢ στρατηγὸν λαμβάνειν τιμήν τινα,
προεδρίαν τ' αὐτῇ δίδοσθαι Στηνίοισι καὶ Σκίροις
ἔν τε ταῖς ἄλλαις ἑορταῖς, αἷσιν ἡμεῖς ἤγομεν,

contrarium autem ignavorum hominum matribus fiat.

Similiter Lysistrata de re publica sananda:

573 πρῶτον μὲν *ἐχρῆν*, ὥσπερ πόκον ἐν βαλανείῳ
ἐκπλύναντας τὴν οἰσπώτην, ἐκ τῆς πόλεως ἐπὶ κλίνης
ἐκραβδίζειν τοὺς μοχθηρούς κτλ.

Cf. totam quae sequitur orationem. Vel chorus in Ranarum parabasi:

687 πρῶτον οὖν ἡμῖν δοκεῖ
ἐξισῶσαι τοὺς πολίτας κἀφελεῖν τὰ δείματα.
κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασιν,
ἐγγενέσθαι φημὶ *χρῆναι* τοῖς ὀλισθοῦσιν τότε
αἰτίαν ἐκθεῖσι λῦσαι τὰς πρότερον ἁμαρτίας.
εἶτ' ἄτιμόν φημι *χρῆναι* μηδέν' εἶν' ἐν τῇ πόλει.

Sic tamquam in somniis meliorem aetatem desiderare ac spectatoribus proponere, qua via impedimenta praesentis status superari possent, ut civitas (nam de ea ut in antiqua comoedia semper agitur) ad meliores leges ac mores perveniret, comoedia nunquam desiit.

Etiam apud Apollodorum Carystium (Ath. VII 280e) nescio quis, postquam de misera hominum vita a rustica quadam Fortuna recta diu lamentatus est atque deinde feliciorem vitam depinxit (haec ab Athenaeo omissa), ita pergit:

οὐ τοῦτο τὸ ζῆν ἐστι τὸν καλούμενον
θεῶν ἀληθῶς βίον; ὅσῳ δ' ἡδίονα
τὰ πράγματ' ἐν ταῖς πόλεσιν ἦν ἂν ἢ τὰ νῦν,
εἰ μεταβαλόντες τὸν βίον διήγομεν·
πίνειν Ἀθηναίους ἅπαντας τοὺς μέχρι
ἐτῶν τριάκοντ' ἐξιέναι τοὺς δ' ἱππέας
ἐπὶ κῶμον εἰς Κόρινθον ἡμέρας δέκα
στεφάνους ἔχοντας καὶ μύρον πρὸ ἡμέρας κτλ.

sequuntur similia consilia, quae ad Megarenses, ad socios, ad Euboeae incolas pertinent. Is qui illis dictis postulat, ut tandem convivalia pro militaribus Graecis imponantur imperia, civitates, non singulos homines respicit.

Etiam cum de privatorum morum correctione disputatur, summa rei ad civitatem refertur. Sic Trinummi locus, de quo supra diximus (de scurris) terminatur:

220: hoc ita si fiat, publico fiat bono,

et in Menandri diatriba de indotatis uxoribus ducendis (Aulul. III 5)[1] id maxime spectatur, ut

481: et multo fiat civitas concordior,
et invidia nos minore utamur quam utimur,

paucis versibus post eadem sententia pronuntiatur:

485: in maximam illuc populi partem est optumum.

Tales fabulosae leges haud raro a parasitis feruntur (Leo Pl. F². 126). In iis aliquando etiam proprio emo-

1) Verbo saltem adumbraverim etiam secundam huius scaenae partem (inde a vs. 497) antiquae comoediae stilo scriptam esse. Generis muliebris mores ita describuntur, ut singula negotia singulique ministri certo ordine enumerentur. Tales catalogi comicis semper in deliciis sunt. (Cf. e. g. Ar. Ach. 1090 sqq.).

lumento prospiciunt, velut Peniculus (Men. III 1) caveri vult, ne quis contionibus et comitiis operam det, nisi ii:

(458) qui essum neque vocantur neque vocant.

Modestum tamen hoc postulatum praeut quod Antiphanis parasitus flagitat (Ath. I 4 f.). Is primum, ut solent, generis sui mores ac virtutes exponit:

οὗτοι δὲ ⟨πρὸς⟩ τὰ δεῖπνα τῶν ἐν τῇ πόλει
ἀφορῶσιν ⟨ἀεὶ⟩ καὶ πέτονται δεξιῶς
ἐπὶ ταῦτ' ἄκλητοι,

paullo post vero haec verba sequebantur (nam media non servata sunt):

οὓς ἔδει
τὸν δῆμον ἐκ κοινοῦ τρέφειν, ἀεί θ' ὅπερ
Ὀλυμπίασί φασι ταῖς μυίαις ποιεῖν,
βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προκατακόπτειν πανταχοῦ.

Hic denuo in animum vocaverim illos Thesmophoriazusarum epirrhematis versus (de meliore sella fortium virorum matribus publice danda) quos supra exscripsi. Apparet igitur hasce parasitorum orationum partes ex eodem fonte ex quo totae orationes, ex antiquis scilicet epirrhematibus, defluxisse.

Restat, ut breviter eam Plauti scaenam inspiciamus, quae ante omnes cum antiquis parabasibus quadam similitudine coniuncta esse videtur, Choragi in Curculione (IV 1) soliloquium [1]). Haec oratio cum reliqua fabula haud cohaerens in actus fine posita est, ubi saepe vel chori carmen vel tibiarum cantus (Pseud. 573) intercalatur. Argumentum plane Romanum est. Tamen ipsam scaenam ex simili scaena exempli Attici a Plauto expressam esse ego quidem mihi persuasi. Haec enim erat ars eius, ut Atticae vitae imaginibus, quantum poterat, Romanas supponeret. Sic haud raro iis ipsis locis Plau-

1) „Eine Art Parabase" Mommsen R. G. I 876.

tinis, quae quam maxime Romano ingenio nata esse videntur ac sane sunt, cum liberae Plauti arti debeantur, similes in exemplis Graecis responderunt. Huius rei unum saltem exemplum apponam. Notissimi sunt Truculenti versus:

687: STRAT. tene hoc tibi:
rabonem habeto, ut mecum hanc noctem siès,
AST. perii, rabonem? quam esse dicam hanc beluam?
quin tu arrabonem dicis? STRAT. „A“ facio lucri,
ut Praenestinis conia est ciconia

(cf. Trin. 609.)

Nonne hoc Plautus de suo addidit? Sane, sed etiam in Attica fabula vel Thebani vel Megarenses vel nescio qui Atticae vicini propter pravam dialectum irrisi sunt; cf. Thebanorum cavillationem in Strattidis Phoenissis (Ath. XIV 621 f.); (de vulgaris sermonis ratione, qua rudis quivis homo „συλλαβὴν ἀφελών“ primas litteras „lucri faciebat“ et κτὼ pro ὀκτώ, βολὸς pro ὀβολός, ῥαβὼν pro ἀρραβὼν dicebat, cf. Amphidem ap. Ath. VI 224 e vs. 11 sqq.).

Sed non modo tali generaliori cogitatione adducimur, ut Plautum Choragi orationem in vicem Graecae scaenae composuisse existimemus. Nam peculiaris huius scaenae character, contemplatio singulorum quae sunt inter cives generum, enumeratio in catalogi modum instituta, illud „commonstrabo“ (cf. δείξω, ἀποδείξω, διδάξω) omnia haec veras parabases redolent. Ibi quoque chorus dicere solet se spectatores hoc vel illud docere velle, quod iis magno usui futurum sit.

E tali autem, qualis Curculionis est, conspectu variorum civium initium saltem nobis servatum est, nescio utrum ex antiquae comoediae epirrhemate (nam tetrameter trochaicus est) an ex mediae vel novae soliloquio. Verba ab Hephaestione (20, 13 C) servata (= fr. com. an. 38) haec sunt:

τῶν πολιτῶν ἄνδρας ὑμῖν δημιουργοὺς ἀποφανῶ
(= „commonstrabo").

Quibus de causis non dubito, quin in Curculionis exemplo similis scaena fuerit, quae ut parabaseos locum optinuit, ita eius stilum ac rationem quodammodo continuasse videtur. —

Huius modi publicae orationes, quales et in Atticarum fabularum reliquiis et in Plauto multas invenimus, apud Terentium leguntur nullae. Hac de re plane item iudicandum est quam de allocutione, quae ad spectatores in fabulis Menandreis Plautinisque saepe fit, in Terentianis nusquam. Omisit talia Terentius, non quin ea inveniret in exemplis suis, sed quia propriam artem haud satis decere arbitrabatur [1]. His igitur in rebus longius distat a stilo ac ratione comoediarum Atticarum quam Naevius atque Plautus.

IV.

Bacchidum fabulae Plautinae exemplum Menandri Δὶς ἐξαπατῶντα esse Ritschelius egregia illa disputatiuncula [2] demonstravit. Sed quamquam complures post illum viri docti seu dedita opera seu obiter rem tangentes quaesiverunt, quae inter Atticam atque Plauti fabulam intercederet ratio, tamen omnes, quantum video, id praetermiserunt, quod in tota hac re et summum et perfacile intellectu est [3]. Qui enim in utraque fabula primas partes

1) Leo, Monolog. 80.

2) Parergon p. 405.

3) Ne Ladewigius quidem (in Leutschii Philologo XVII 1861 p. 261 sqq.) tertium dolum ullo verbo tetigit. Ceterum ille doctus vir multas Bacchidum salebras sagaciter detexit omniumque, qui de huius

agit, Chrysalus servus apud Plautum non bis sed ter decipiens est. Hanc difficultatem Ritschelius evitare frustra conatur, cum duplicem fraudem in duabus epistulis a Chrysalo scriptis consistere ἐν παρεκβάσει affirmat (opusc. II 365), narrationem de lembo (II 3) prorsus excludens. Huic computationi Chrysalus ipse refragatur, qui tria sua facinora contra senem commissa cum tribus Troiae cladibus fuse comparat (953—972). Et iam antea verba eius scaenae (IV 4), qua secundus dolus praeparatur:

692: CHRYS. quid vis curem? MNES ut ad senem etiam alteram facias viam

titulum fabulae clare interpretantur. Quo modo igitur res se habet? Id mihi quidem minime dubium est.

Eam scaenam, qua Chrysalus de lembo narrat neque minus eam qua senem priore epistula decipit, e Menandri fabula sumptam esse duobus fragmentis comprobatur (cf. Leonis adnotationes ad vss. 308, 816). Sed etiamsi neque haec fragmenta servata essent neque de Menandreae fabulae titulo quicquam compertum haberemus, tamen quis Menandro, elegantissimo poetae, tantam inventionis exilitatem tribueret, ut eum idem instrumentum (litteras a Chrysalo auctore ad senem perlatas) in una fabula bis ad eandem rem impetrandam tam cita repetitione usurpasse crederet? Sed non modo concludi, verum etiam certo argumento demonstrari potest tertium dolum (alteram epistulam) non ex Menandri fabula fluxisse. Nicobulus enim, postquam omnia comperit, sic lamentatur:

---

fabulae compositione egerunt, plurimum profecit. Brachmannus (stud. Lips. III 1880 p. 59 sqq.) atque Anspachius (diss. Bonn. 1882), uterque fallaciarum retractatoris cuiusdam magis quam artis Plautinae investigator, illam rem, de qua nos agimus, prorsus neglexerunt. Baarius (de Bacchidibus Plautina diss. Kiel. 1891), licet dedita opera de Bacchidum contaminatione egerit, tamen, qua est futtilitate (nam complures quaestiones recte instituit, nullam ad liquidum perducit) supersedit de tertio dolo omnino inquirere.

1089 perii, pudet: hocine me aetatis
ludos bis factum esse indigne?

Hoc cantico Plautus Bis Decipientis soliloquium expressit. Et ut fieri solet, poeta velociore cursu pergens oblitus est id, quod exemplari suo addidit, postea quoque respicere. Quo fit, ut senex Chrysalo quamvis iratus ultimum eius facinus paullo ante commissum, secundae scilicet epistulae fictionem alterasque argenti rapinas, toto cantico ne verbo quidem tangat, immo eius rei plane nescius esse videatur.

Ad scaenae IV 8 exitum revocamur, quem comprobari potest inde a vs. 905 a Plauto commutatum esse, ut haberet, quo tertium dolum annecteret. Versus 905—912 arte cum secunda epistula cohaerent. Nam huius epistulae acumen in eo positum est, quod Chrysalus sese erilem filium vituperasse atque correxisse simulat. Id illis versibus annuntiatur. Apud Menandrum exitus scaenae fortasse talis erat: post vs. 904 Nicobulus domum intrat, ut aurum efferat. Chrysalus solus pauca verba loquitur, triumphans abit, ut socios victoriae modo partae compotes faciat. Postquam ille abiit, Nicobulus rursus ex aedibus egreditur, vss. 913 sqq. dicit, postremo annuntiat sese nunc ad forum iturum esse, ut militi pecuniam solvat. Unde vs. 1087 revertitur.

Restat, ut quaeramus, qua de causa Plautus tertiam fraudem fabulae Menandreae inculcaverit et unde eam sumpserit. Addidisse videtur hanc actionem, ut fabulam suam copia quadam amplificaret atque fraudis iteratione victoriam Chrysali senisque cladem efficaciorem — Romano quidem sensui — redderet. Quam actionem nulla Graeca fabula adhibita Plautum libere finxisse ut parum verisimile est, plane refutatur eximia epistulae (1106 sqq.)[1]

[1] Versus enim 997—1005 ab histrione quodam factos esse, qui totam scaenam (usque ad vs. 1063) in artius contraxit, ego quidem mihi persuasi.

venustate. Talia Attici poetae stilum redolent. Sumpta est igitur haec actio ex alia quadam comoedia Graeca, in qua item atque in Bis Decipiente servus erilis filii socius seni ficta epistula argentum eripuit. Ibi senex ipsi servo fallaci mandaverat, ut filium corrigeret, velut Simo in Andria 596 ac passim. Illam alteram fabulam Plautus cum Bis Decipiente non ea ratione coniunxit, ut e duarum fabularum partibus aeque confusis tertiam novam crearet, sed quasi in telam iam paratam unum filum aliunde petitum intexuit. Sic Terentius unum Diphili Commorientium locum in Adelphos suos se sumpsisse fatetur [1]).

Contra Chrysali canticum (IV 9) si non totum, at certe maxima ex parte a Plauto ipso inventum esse videtur. In eo paucissimae sententiae plurimis verbis exprimuntur. Etiam mythologica doctrina, qua res sane vulgares tam loquaciter effunduntur [2]), aliquid barbari prae se fert. Simillimum est Persae initium, ubi error mythologicus (vs. 3) Romanum poetam indicat. Ceterum huiusmodi exordia, quibus dicitur: hoc illud heroum facinus nihil esse praeut quod fabulae actor fecerit vel viderit — haud raro inveniuntur apud Plautum, cf. praeter Persae initium Stich. 1 sqq., Mercat. 469 (cf. Vid. frg. 1), Aulul. 701; ipsarum Bacchidum frg. 15. In Pardaliscae soliloquio (Cas. IV 1) ad eundem modum non heroum facta, sed Graeciae institutiones comparantur; tamen hoc a Romano poeta inventum esse vocabuli „ludus" usus docet. — Chrysali canticum magna ex parte nugas continet, quae in fabulae actione fere nihil valent. Tamen haec scaena certo cuidam fini inservit, qui e media eius parte facile cognoscitur. Versibus enim 953 sqq. tertius dolus ad Bis Decipientis facinora adnectitur. Ex eadem

1) Cf. Leonis adnotationem ad Asin. 127.
2) Ad 946 sqq. cf. Pseud. 1063 sq., 1244.

igitur necessitate hoc canticum ortum est ex qua Pseudoli II 1 (cf. Leonem de Pseudolo rel. soc. Gott. 1903 p. 6), quocum omnino non sine utilitate comparari potest. Ibi enim Plauto diversi duorum exemplarium doli inter se coniungendi erant, quorum unus Ballioni, alter Simoni parabatur. Pseudoli canticum a Plauto libere fictum esse Leo vidit (l. l.). Animadvertas velim easdem ibi atque in Chrysali cantico usurpari metaphoras.

Plautus, quamvis secure saepe fabulis suis aliena inculcaverit, tamen tertium dolum omni cum reliqua fabula conexione carere noluit. Scaenae igitur IV 4 versus 707—712 inseruit, quibus illa actio annuntiaretur. Etiam metaphora, qua Chrysalus ibi utitur (709—11) ad comparationem cum Troia factam (IV 9, praeterea 1053 sqq.) spectat[1]). Talibus artificiis Plautus alienas res si minus inter se confundere, at certe consuere saepius conatus est. Nam haud raro scaenam vel complures scaenas extrinsecus in fabulam insertas eo modo cum reliquis partibus coniunxit, ut etiam aliis scaenis, si qua occasio offerretur, singulos versus ad illud additamentum spectantes intermisceret. Hanc rem nunc, quoniam ea quae de Bacchidum tertio dolo docere propositum erat, ad finem perduximus, aliquot Stichi versibus comprobare volumus, quorum natura nondum satis perspecta esse videtur. Res minuta est ac brevi confici potest.

---

1) Fortasse operae pretium est annotare ballistae imaginem (vs. 709 s.) non modo in illa Pseudoli scaena (585) legi, de qua supra diximus, sed simillimos versus esse in Poenulo 201:

quoi iam infortuni intenta ballistast probe,
quam ego haud multo post mittam e ballistario.

hi vero versus partem faciunt soliloquii, quod non a poeta Graeco, sed a Plauto factum esse Iachmannus luculenter demonstravit (Χάριτες 258 sqq.; cf. Leo, Monol. im Drama 56, [4]). Sequens versus: recta porta invadam extemplo in oppidum anticum et vetus — rursus comparandus est cum Pseudoli cantico (587); cf. Pseud. 384, 766.

In Stichi scaena III 2 offendo, quia biceps est. Audi modo:

GEL. Libros inspexi; tam confido quam potis
me meum optenturum regem ridiculis meis.
nunc interviso, iamne a portu advenerit,
ut eum advenientem meis dictis deleniam.
(EP. hic quidem Gelasimus est parasitus, qui venit).
GEL. Auspicio hodie optumo exivi foras:
mustela murem abstulit praeter pedes etc.

tum:

464 Epignomus hic quidemst qui astat. ibo atque adloquar.

Sic nemo loquitur. Non enim unum initium, sed duo sunt. Is qui dicit:

Auspicio hodie optumo exivi foras

cum his demum verbis in scaenam ingreditur[1]). Hoc genuinum scaenae principium esse docet exitus:

499 certumst mustelae posthac nunquam credere etc.

Iam si perspeximus versus 454—57 a vera scaenae ratione alienos esse, etiam de miro antecedentis scaenae exitu rectius iudicare possumus. Quaerendum enim est, cur Epignomus, postquam Stichus abiit, in scaena remaneat, cum nullam morandi causam dicat. Scilicet in exemplo Graeco Epignomus pôst Stichi abitum (445, nam sequentes versus a Plauto additi) pauca verba fecit, velut: sed ego abibo, ut hoc vel illud faciam, deinde Gelasimum aspicit, et mutato consilio dicit (similiter atque vs. 458): sed Gelasimum video, quid habeat sermonis, auscultabo. Tum Gelasimus incipit (459):

Auspicio hodie optumo exivi foras.

Restat, ut explicemus, unde Plautus illos primos ver-

1) Cf. Leo, rel. soc. Gott. 1902 p. 384.

sus exemplo suo addiderit. Cohaerent sane cum exitu scaenae II 2:

ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus;
nam ni illos homines expello, ego occidi planissume.

Haec rursus verba referri debent ad magnam dictorum auctionem. Quam auctionem a Plauto de suo Menandreae fabulae additam esse F. Leo demonstravit (quaest. Plaut.[2] 169, cf. relat. soc. Gott. 1902 p. 383).

Apparet igitur Plautum non satis habuisse unam scaenam a se inventam Menandreae fabulae inseruisse, sed eam artioribus vinculis ad totam actionem applicari voluisse.

Argumentum.

Index rerum.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Eduardus Fraenkel a. d. XVI Kal. Apr. a. MDCCCLXXXVIII Berolini patre Iulio, matre Editha e gente Heimann. Fidem profiteor mosaicam. Progymnasmatum triennio functus inde a vere a. MDCCCXCVII frequentavi gymnasium Ascaniense, quod A. Busse viro humanissimo moderante floret. Praeceptorum meorum omnium grata laetaque mente recordor; plurimum me debere fateor Ottoni Gruppe. Qui vir summe venerandus animum meum ad Graecorum amorem primus inflammavit, verum etiam fidelis amicus mihi et fuit et nunc est.

Aestate a. MCMVI in universitate Friderica Guilelma Berolinensi iurisconsultorum scholis intereram. Proximam hiemem Romae degi, unde domum regressus studiis philologicis me dedi. Post biennium Georgiam Augustam petivi, ubi uno semestri hibernali (inde ab autumno anni MCMX) excepto, quo Berolini denuo versabar, usque ad hoc tempus remansi. Gottingae praeter litterarum atque historiae etiam monumentorum antiquorum studio operam dedi.

Docuerunt me viri doctissimi Delitzsch, Dessau, Diels, Harnack, Helm, Hirschfeld, Kahl, Ed. Meyer, Norden, Roethe, D. Schäfer, W. Schulze, Seckel, Simmel, Vahlen †, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses; Brandi, Busolt, Husserl, Jacobsthal, Körte, Leo, Pohlenz, Reinach, Schultz, Wackernagel, Wellhausen, Wendland Gottingenses.

Sodalis fui proseminarii philologici Berolinensis per duo, seminarii et Berolinensis et Gottingensis per singula, archaeologici Gottingensis per tria semestria.

Ad exercitationes historicas Busolt, Ed. Meyer, Stein, ad grammaticas Schulze, Wackernagel, ad philosophicas Reinach benigne me admiserunt.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas; imprimis Eduardo Norden, Jacobo Wackernagel, Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff. Pietatem vero, qua colo Fridericum Leo, verbis profanare nolo, ἦ μὰν πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένον εὐθυμίαν μείζω φέρει.